

M. TULLI CICERONIS

DE OFFICIIS

LIBRI TRES.

RECENSUIT

RUDOLPHUS STUERENBURG.


UNIVERSITÄT
VON
LEIPZIG

ACCEDUNT COMMENTATIONES.

L I P S I A E

SUMPTU BAUMGAERTNERI.

MDCCCXXXIV.



RUDOLPHUS STUERENBURG

CAROLO DAUIDI ILGENIO

UIRO ILLUSTRIS

S. P. D.

Ad Te potissimum, uir illustris, misi hunc libellum, cum non modo nemo sit, cui declarare magis cupiam obseruantiam, uerum etiam Tu tantam mihi et cum uersarer in schola Portensi et postea praestiteris beneuolentiam, satis ut erga Te gratus possim esse nunquam. Quodsi Tibi, cuius elegantissimum iudicium semper suspexi, probari hoc opusculum poterit, impetrauero, quod optaueram quam maxime. Quantam uero lucem Tu, uir illustris, quem excellere et ingenio et doctrina apud omnis constat, Ciceronis operibus possis afferre, cum omnes sciunt, qui interfuerunt Portae lectionibus Tuis Tullianis, tum ego nuper rursus expertus sum luculentissime. Etenim cum alia per litteras disputaueris acutissime, tum aliquot locos Ciceronis orationis *pro Archia*, de quibus ipse in editione mea male iudicaueram, ita emendauisti, ut coniecturas nesciam ingeniosiores. Atque illae quidem Tuae litterae cum me in iudicando, quid uerum, quid falsum sit, multo effecerint cautiorem magnusque inde redundauerit fructus ad hos ipsos libros *de Officiis*, non potui, quin hoc potissimum loco egregias emendationes, quas ibi

proposuisti, cum hominibus doctis communicarem. Quanquam autem uehementer dolendum est, quod hoc loco summae tantum Tuarum disputationum, quarum ne uerbo quidem caruerim, potuerunt afferri: tamen cum ueritas luceat, ut aiunt, non dubito, quin ei, qui de his rebus possint iudicare, primo aspectu sint intellecturi, quam conieceris egregie.

Cap. III, §. 5. Uulgata haec est: *ut domus, quae huius adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti.* Egregie uero coniecisti *proxima* pro molestissimo *prima*. Cum enim compendium syllabae *pro* (P) facillime potuerit confundi cum simplici *p*, littera *x* autem in codicibus simillima sit litterae *r*, librarium *prima* legisse pro *proxima*. Quod ad ipsam sententiam attinet, aptius Tullium loqui non potuisse. Constare enim, saepenumero *proximus* dici de amore, studio, beneuolentia. Antitheta denique *adolescentiae proxima et familiarissima senectuti* Tullio dignissima esse.

Cap. IV, §. 8. Etsi in codicibus omnibus legitur *M. Lucullus*, tamen utrunque *Lucullum* in hac re ferri non posse, luculentissime ostendisti. Nullo pacto enim posse dici de *M. Lucullo*, quod secundum narrationem in unum cadat *L. Lucullum*. Quodsi *M. Lucullus* esset iussus loco absentis *L. Luculli* testimonium dicere, plane aliter a Cicerone debuisse narrari. Minime omnium autem *M. Lucullum*, si fuisset ipse quoque Heracleae, potuisse dicere, se non *interfuisse*, set *egisse*. Nam cum *egerit*, ut ex initio huius capitis appareat, unus *L. Lucullus*, *M. Lucullum* tantummodo potuisse *interesse*. Aptissime autem conferri iussisti locum

ad Fam. XIII, 36, 1 *Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetrauit, qua in re ego interfui.* Non magis hoc loco Ciceronem potuisse dicere, se *egisse*. *Egisse* enim Dolabellam. Egregie autem egisti criticum, quod repudiauisti medelam istam maxime improbabilem, quam plerique adhibuerunt editores, ut pro *M. Lucullus* scriberent *L. Lucullus*. Quod uero coniecisti, totum istud *M. Lucullus* librario deberi, qui ex apposito ab grammatico glossemate *in. Lucullus* fecerit *M. Lucullus*, coniecisti ingeniose: nisi forte uerum uidit Schuetzius, qui non solum hoc loco scribit *et fide M. Lucullus*, ut codices habent omnes, set etiam initio capituli de coniectura sic *cum M. Lucullo*. Nam quamuis sit improbable, ex codicum lectione *et fide M. Lucullus* facere *et fide L. Lucullus*, tamen facillime potuit *cum M. Lucullo* corrumpi primum in *cum Lucullo*, deinde in *cum L. Lucullo*. In sequentibus autem nihil est, quod huic rei repugnet, atque haut scio an ei loci, quibus *L. Lucullus* commemoratur, id suadeant. Confirmare uidetur etiam scholiastes Ambrosianus in annotatione ad uerba Ciceronis *Lucullos uero* ex cap. 3, §. 6. Annotauit enim haec: *Significat Marcum et Lucium, quorum alter de Macedonia, alter de bello Mithridatico triumpharunt.* Scilicet consentaneum est, priore loco commemorari a scholiasta eum, quem sciebat in causa affuisse.

Ibidem paulo post. Uulgata haec est: *qui hunc ascriptum Heracliensem dicunt.* At prorsus mihi persuasisti, uulgatam esse peruersam. Ostendisti enim, cum quaestio fuisset haec, utrum Archias tum, cum uenisset cum *M. Lucullo* Heracleam, ibi ascriptus fuisset

set, necne, non potuisse Heracliensis legatos respondere: *ascriptus est Heracliensis*. Nam praeterquam quod responsio fuisset languidissima, non debuisset Heracliensis ipsos in responsione de loco ascriptionis loqui, set tantum respondendum fuisse, ascriptam esse. Nec igitur ueram esse uolgatam lectionem *Heracliensem* nec coniecturam Lambini *Heraclaeae esse*. Praeclara uero est Tua coniectura *Heraclienses* pro *Heracliensem*, ut summa uis ponatur in repetito nomine *Heracliensium*. Id possit esse dubium, utrum secundum lectionem Barberini primi nullius auctoritatis: *qui Heracliensem ascriptum dicunt* legendum sit: *qui Heraclienses hunc ascriptum dicunt*, quod Tu, uir illustris, praetulisti, an secundum uolgatam lectionem, quam optimus Erfurtensis cum ceteris codicibus tuetur, sic: *qui hunc ascriptum Heraclienses dicunt*. Quae posterior collocatio mihi nunc quidem perplacet. Nam cum uis summa posita sit in repetito nomine *Heracliensium*, propterea quod hoc ipsorum Heracliensium testimonium multum debebat ualere; nulla autem in uerbis *hunc ascriptum*, quae si essent omissa, potuissent intelligi, ut paulo ante in *scire, uidisse, egisse*: aptissime haec uerba *hunc ascriptum*, ut ui earentia, collocata sunt inter *qui* et *Heraclienses*. Quod autem uterque Barberinus omisit *hunc*, id factum uidetur temere. Est enim leuis certe hoc loco, oppositio inter *Archiam* et *Heracliensis*: ut aegre caream pronomine. Nec uideatur esse necessaria Tua coniectura *tunc*, quoniam *tunc* siue *tum* per se poterit intelligi, cum supra iam sit dictum: *Heraclaeae esse tum ascriptum negabis?*

Cap. V, §. 11. Uolgo editur ineptissime: a *L. Lucullo praetore et consule*. Nec tamen debebam pro *praetore et consule* recipere coniecturam *Graevi proconsule*: etsi aliis etiam locis confundi constat *proconsul* et *praetor consul*, ut in *Uerr. A. II, d. III, 91, 213*. Praeclare enim Tu, uir illustris, uidisti, scripturam Erfurtensis *p. R. cons.*, sicut dicitur habere, teste Graeuio, etiam *Pithoeanus*, legendum fuisse non *praetore consule*, set *populi Romani consule*. Urgere enim Ciceronem per totum hunc locum, omnis res, quae probent, Archiam in ciuium *Romanorum* iure esse uersatum, uere *Romanas* esse: primum, testamentum saepe fecisse *Romanis* legibus; deinde, hereditates adiisse ciuium *Romanorum*; denique, in beneficiis ad aerarium delatum esse a *L. Lucullo*, *populi Romani* consule. Atque plane sic dixisse Ciceronem cap. 2, §. 3 *apud praetorem populi Romani*.

Ibidem paulo post. Uolgo *neque suo neque amicorum iudicio reuincetur*. Studueram ego quidem tollere, quae inest sane in uerbo *reuincetur*, difficultatem; uerumtamen, quomodo sit tollenda, unus Tu peruidisti. Ciceronem plane non cogitasse de uerbo *reuincetur*, set scripsisse *re uincetur*. *Rem* esse uerbum iudiciale. Ipsum autem Ciceronem, quid intersit inter *rem* et *causam*, docere pro *Mil. 6, 14* set cum inesset in re uis et insidiae, crimen iudicio reseruauit; *rem* notauit; 15 *At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de casu iudicauit*. *Rem* igitur esse nostram *Thatsache*. Conferri posse etiam ibidem 11, 31; porro *Liuium I, 32*. Item iudiciale esse uerbum *uincendi*. Constare autem de duplici

structura *causam uincere* et *causa uincere*; set de industria oratorem hoc loco dixisse *re uincetur* ac non *causa uincetur*, h. e. *causa cadet*. Agi enim hoc loco de *re* (*Thatsache, Thatbestand*) atque quaeri, utrum sit Archias ciuis Romanus secundum legem Silani et Carbonis; necne sit. *Rem*, quam Gratus negauerit, Ciceronem multis argumentis confirmare; multa enim fecisse Archiam, quae non potuisset quisquam facere nisi ciuis Romanus: nunquam igitur Archiam *re* (*in Hinsicht der Thatsache*) uictum iri. At suo iure Ciceronem hoc loco non dicere *nunquam causa uincetur*, cum id non potnerit certo scire. *Causam* enim contineri quaestione, acceperitne Archias ciuitatem legitime. Quare si noluissent iudices testimonium M. Luculli, cetera agnoscere, *causa* quidem potuisse Archiam uinci, *re* uero nunquam. — Quis autem doctus hac Tua coniectura praestantissima non statim intellexerit, Ciceronem *ad Fam. I, 2, 1* scripsisse sic: *maximeque uisi sumus senatum commemoratione tuae uoluntatis erga illum ordinem re mouere?* In Mediceo, unica illa horum librorum auctoritate, cum legatur inepte *remouere*, editores omnes de coniectura scripserunt *commouere*, neque reputauerunt, non fuisse *commotum* ordinem, set *motum*. Intelligendum autem *re mouere* sic: *in Betreff der Sache bestimmen*.

Si omnes, immo uero si pauci ex multis illis, qui omni tempore ad emendandum Ciceronem incubuerunt, in emendando tam egregie, quam Tu, uir illustris, soles, fuissent uersati, tot corruptelae non sane in summi scriptoris operibus etiamnunc deprehenderentur.

At enim quotusquisque inuenietur hodie, quem pudeat, pro sano habuisse locum corruptum! Me quidem semper istiusmodi iudici puduit semperque pudebit. Atque ingenue confiteor, multo minus mihi uideri uituperandum, si quis quando locum, qui forsitan culpa ipsius scriptoris ita sit scriptus, ut uideatur indignus illius siue natura siue ingenio siue sermone, pro corrupto habuerit studueritque corrigere. Ostenderit enim profecto, se posse iudicare, quid sit rectum, quid non sit.

Tuae litterae uero uim habuerunt hanc, ut, cum denuo ego oratiunculam illam pertractarem, hos etiam locos intellexerim male antea a me esse tractatos.

Cap. III, §. 4, ubi in codicibus legitur sic *celeriter antecellere omnibus ingeni gloria contigit*, tandem uidi, pro *antecellere* scripsisse Ciceronem *antecellenti*. Causas quidem, cur *antecellere contigit* ferri non posset, peruideram dudum; uerumtamen nimis diu non perspexi, inepte dici *antecellere omnibus ingeni gloria*. Potest enim quispiam antecellere omnibus *ingenio*, non tamen *gloria ingeni*. At uero si quis coniecerit *celeriter antecellenti omnibus ingeni gloria contigit*, ne hunc quidem laudauerim. Antecelluit enim Archias celeriter omnibus (int. in eis, quae scribebat), ut ingeni gloria ei contigerit. Quam facile autem ex lectione hac *celeriter antecellenti omnibus ingeni gloria contigit*, in qua quidem lectione *gloria* perperam habebatur pro ablatiuo, potuerit oriri corruptela illa *celeriter antecellere omnibus ingeni gloria contigit*, apparet: non minus, quam apud Ciceronem quidem certe audacter conici sic *celeri antecellere omnibus*, quamuis probabilis

coniectura uideatur esse collato loco *d. Off. I, 30, 108 Callidum celare.* Horatius quidem, ut poeta, sine ulla dubitatione potuit dicere *celer irasci Epist. I, 20, 25, celer sequi Od. I, 15, 18, celer uoluere ibid. IV, 6, 39.* Ita ingeniosus autem hodie non facile quisquam erit, ut legendum coniciat sic *celeriter antecellere omnibus.*

Ibidem paulo post, ubi uulgata haec est *ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius aduentus admiratioque superaret,* Cicero scripsit sic *ut famam ingeni exspectatio hominis, exspectationem ipsius aduentus admiratio superaret:* ut iungatur *exspectationem ipsius aduentus.* Dicit igitur orator, quamuis fuerit in Italia exspectatio Archiae aduentus magna, admirationem fuisse maiorem. Rectissime autem dixit Cicero *exspectationem ipsius aduentus* ac non simpliciter *exspectationem ipsius,* non tam, ut uariaret orationem, quam quia propius accedere uoluit ad ipsius Archiae in Italia aduentum. Nam non posse iungi *exspectationem ipsius et aduentus admiratio,* uix opus erit commemorare. In uulgata uero lectione *admiratioque* siue *admirationemque,* praeterquam quod concinnitas loci prorsus nulla est, sententia inest inepta. Quis enim unquam dixerit *aduentus superauit exspectationem,* id est, *aduentus maior fuit, quam exspectatio?*

Cap. III, §. 6 certissima est lectio Lagomarsiniani 19 *continebat* (de qua recte disputauit Eluenichius in *Mus. Rhen. 1827 I, P. 4, pag. 214*) pro uulgata *cum teneret.* Ineptum enim est, diuersissima isto modo con-

iungere. Si scissem anno superiore de illa lectione, non sane tolerauissem uolgam.

Cap. VI, §. 12 necessario scribendum est *tempore aut incommodo*: etsi codices aut *commodo* praebent, idque plerique, aut *commodum*. *Commodum*, si non barbarum, at ineptum est atque inconcilianum: id quod plerique senserunt. Est autem barbarum *aut commodo*: propterea quod, si uoluisset orator *tempori* opponere *commodum*, scribendum erat sic *ut a nullius unquam me nec tempore nec commodo*. At tale ne potuit quidem quicquam opponere, quippe cum hoc certe loco *tempori* (*Gefahr des Lebens*), quod non cadebat cum in multas causas, tum in causam Archiae, subiiciendum aliud uocabulum esset, quod de leuioribus causis poterat dici. Addidit igitur *aut incommodo*: atque cum hac re conuenit cum tota causa Archiae, tum quod dixit orator cap. 12, §. 31 *sic in uestram accipiatis fidem, ut humanitate uestra leuatus potius, quam acerbitate uiolatus esse uideatur*.

Cap. VIII, §. 17 latet in uerbis *etiam cum in aliis uideremus* corruptela. Nam si est profectum *etiam* a Cicerone, non debebat dici *in aliis*, set *in seruis* aut simile quiddam; si est Tullianum *in aliis*, quod credo, est sane delendum *etiam*.

Cap. X, §. 25 restituendum est primum *uidimus*: nam alienus est locus, quem in annotatione, tanquam similem, laudauit, nec facile similes loci inuenientur. Male autem cum ego, tum omnes intellexerunt uerba *de populo* ita, quasi esset dictum *de plebe*. Nihil certius, quam oratorem iuuxisse *de populo* *subiecisset*, id est, *aus dem Volke heraus*. Erat enim concio. Accedit, quod, cum uis,

quanta potest maxime, posita sit in uocabulo *malus*, quoduis additamentum languidissimum sonat. Deinde delendum est uocabulum *longiusculus* cum scholiasta Ambrosiano. Hic enim et in uerbis Ciceronis his: *Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis uersibus* et in subiecta annotatione istud glossema plane non agnoscit. Scripsit enim haec: *Alternos igitur uersus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus uarios*. Non potest autem dubitari, quin poeta ipse dixerit haec: *epigramma in te feci tantummodo alternis uersibus* atque intelligi uoluerit sic: *ich habe weiter nichts gemacht, als ein Epigramm auf dich in abwechselnden Versen*. Hoc est, carmen non esse nimis magnum, set statim posse a Sylla legi, quippe cum nihil aliud esset nisi epigramma in eum alternis uersibus. Magna cum ui igitur postpositum est *tantummodo*. Ineptum est autem glossema istud, propterea quod non potest dispici, cur *hexameter* (is enim est uersus longus) potius dicatur alternus. Alternus est enim in epigrammate non minus *pentameter*: nisi forte glossator suo quodam more utrunque uersum et *hexameter* et *pentameter* nuncupauit *longiusculum* neque reputauit, non posse dici *longiusculus* pro *longulus*. Accedit, quod uocabulum *longiusculus* apud neminem omnino scriptorem inuenitur. Denique restituendum est *ei praemium pro omne pretium*. Intelligo autem nunc sic: *unam aliquam ex is rebus, quas uendebat, iussit ei pro praemio epigrammatis tribui*. Erat igitur praemium tenue et exiguum: quod ipsum significat Cicero paulo post his uerbis *aliquo tamen praemio, id est, aliquo tamen praemio, quanquam non*

magno. Nam quod Sylla condicionem posuit, *ne quid postea scriberet*, id male a me erat intellectum sic: *ut omnino desineret uersus facere*. Intelligi debet sic: *ne quid postea in laudem Syllae scriberet*. Quodsi non fecisset Sylla hanc condicionem, poeta sine dubio sperauisset, fore, ut, cum pro solo epigrammate aliquod tamen praemium acceperit, multo tribueretur maius, si magnum quoddam perfecisset in laudem Syllae carmen. — Lectio autem Ambrosiapi *praetium* facile potuit oriri ex scriptura *praemium*; non item uolgamum *praemium* ex *pretium*. Cf. *d. Senect.* 1, 1, quo loco lectio uerissima *praemi* in aliquot codicibus corrupta est in *pretii*.

Cap. XII, §. 30 non potest esse dubium, quin scripserit Cicero sic: *An uero tam paruis animis uideamur esse, omnes qui in re publica et quae secuntur*. Est autem profecto *paruo* animo, si quis, qui magna in uita perfecit, arbitratur, gloriam rerum, quas gesserit, secum simul morituram. Atque tam paruus animus eo est dignus, qui nihil unquam perfecit magnum. *Arbitrari* autem non est *suspicari*, set respondere constat nostro *denken, für wahrscheinlich halten*. Iam uero unus quidem homo *paruo animo* est, non tamen plures: hos *paruis animis* esse, debebam reputare. Quare si uoluisset et potuisset Cicero genitiuo hoc loco uti, dixisset *paruorum animorum* ac non *parui animi*: nec uero quisquam, qui Latine sciat, ita defendet uolgamam, ut *parui animi* dicat esse nominatiuom numeri pluralis. *Omnes* denique, quod fit ineptum, si iungetur, ut uolgo est factum, cum *uideamur*, egregium sonat iunctum cum sequentibus.

Cap. XII, §. 31 ueram esse omnium fere codicum lectionem *uenustate*, tandem intellexi. Nam *uenustate* amici maximo opere hominis comprobatur *pudor*. *Uenustus* enim a Romanis non solum dicitur is, qui est *formosus*, set is, qui in factis dictisque conseruat pulchritudinem. Ita plane cap. 8, §. 17 *uenustas* laudatur Rosci. *Uenustus* igitur nemo, qui est dissolutus et libidinosus aut qui delectatur uerborum obscœnitate. Cum uero essent *uenusti* amici Archiae, hac re *pudor* eius uel maxime comprobabatur. Illi enim, qua erant *uenustate*, neminem in suo numero tolerauissent destitutum *pudore*. Accedit, quod in uulgata lectione walde inconcinnum est, ut peruidit Henricus, frater, cum in *dignitate* soli respiciantur amici, in *uetustate* respici non solum amicos, set etiam Archiam.

Set haec hactenus. Ueriora autem his locis, quam antea, si nunc uidisse reperi, Tibi, uir illustris, debebo gratiam. Uale uero, senex uenerabilis, in diesque Te refice ex graui morbo, quo nuper Te affectum esse, cum omnes, qui Te norunt, commiserati sunt, tum ego, quem fili loco semper habuisti. Serua mihi autem paternum illum amorem, quo es adhuc me prosecutus. Uale.

Seripsi Lipsiae die xx mens. Septembris

MDCCLXXXIII.

PRAEFATIO.

§. I.

Indicantur loci, qui sunt sanati coniectura.

Corruptelae multae in his libris Ciceronis de Officiis, quamvis uolgo post curas doctissimorum hominum habeantur emendati, adhuc uel infelicitè sunt tractatae uel omnino latuerunt. Sanari autem coniectura locos hos.

Lib. I.

C. 1, §. 3. cum illis fere aequantur. Uolgo iam illis fere uequarunt.

Ibidem. sequereturue (uide Corrigenda). Uolgo sequereturque.

C. 3, §. 9. ut ad copias. Uolgo atque copias.

C. 5, §. 15. id est, indagatio. Uolgo mest indagatio.

C. 5, §. 17. actio, non solum mentis agitatio quaedam (uide Corrigenda). Uolgo actio quaedam, non solum mentis agitatio.

C. 9, §. 28. ne ad rem quidem publicam. Uolgo ne ad rempublicam quidem.

Ibidem. erit (uide Corrigenda). Uolgo erat.

C. 11, §. 33. lacessierit iniuria, ita poenire (uide Corrigenda). Uolgo lacessierit, iniuriae suae poenitere.

C. 11, §. 37. Marcique (uide Corrigenda). Uolgo M. quidem.

C. 12, §. 37. animaduerte. Uolgo animaduerto.

Ibidem. uocatur. Uolgo uocaretur.

C. 13, §. 39. ut uenit in senatum, censuit, captiuos non reddendos (uide Corrigenda). Uolgo ut uenit, captiuos reddendos in senatu non censuit.

C. 14, §. 42. *uel liberalitate.* Uolgo *ac de liberalitate.*

C. 14, §. 44. *plerunque rapiendi cupiditas (uide Corrigenda).* Uolgo *cupiditas plerunque rapiendi.*

C. 17, §. 55. *in nullo (adde ad Corrigenda).* Uolgo *in alio.*

C. 18, §. 59. *aut uix possit consequi aut non possit (adde ad Corrigenda).* Uolgo *aut possit consequi aut non possit.*

C. 18, §. 61. *noster Cocles hinc.* Uolgo *hinc noster Cocles.*

C. 19, §. 64. *secundum morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditatem uincendi.* Uolgo *omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate uincendi.*

C. 20, §. 16. *Hominis.* Uolgo *Omnino.*

Ibidem. omni. Uolgo *homini.*

C. 20, §. 67. *id est, si et.* Uolgo *si et.*

C. 21, §. 71. *Qui autem, talis nulla si causa sit, despiciere.* Uolgo *Quibus autem talis nulla sit causa, si despiciere.*

C. 21, §. 72. *magnificentius.* Uolgo *magnificentia.*

C. 22, §. 76. *partum.* Uolgo *putatur.*

C. 23, §. 80. *tumultu ante.* Uolgo *tumultuantem.*
Est autem coniectura egregia Henrici, fratris.

C. 24, §. 83. *tempestate naui omni ratione.* Uolgo *tempestate quauis ratione.*

C. 24, §. 84. *si optimum.* Uolgo *etiamsi optimum.*

C. 26, §. 92. *res ab is et maximi esse animi, qui.*
Uolgo *res et maximi animi ab is, qui.*

C. 28, §. 97. *ea secuntur.* Uolgo *secuntur.*

Ibidem. utrunque. Uolgo *tum.*

Ibidem. es. Uolgo *est.*

C. 28, §. 98. *ac pateat.* Uolgo *appareat.*

C. 28, §. 100. *uis eius est in hac parte.* Uolgo *uis decori in hac inest parte.*

C. 29, §. 101. *et temeritate (cum Heumanno).*
Uolgo *temeritate.*

C. 29, §. 102. *enim omnino et.* Uolgo *enim et.*

C. 29, §. 103. *grauibus rebus seriisque.* Uolgo *grauibus seriisque rebus.*

C. 30, §. 107. *ex eaque.* Uolgo *ex eo, quod.*

C. 30, §. 109. *uidemus.* Uolgo *quem.*

Ibidem. uirum magnum clarum fuisse. Uolgo *magnum clarumque fuisse.*

C. 31, §. 110. *tamen nostra studia.* Uolgo *tamen nos studia nostra.*

C. 32, §. 118. *maxime ea.* Uolgo *ea maxime.*

Ibidem. *sine parentium.* Uolgo *sive parentium.*

Ibidem. *rectam secuti viam sunt vitæ* (vide *Corrigenda*). Uolgo *rectam vitæ secuti sunt viam.*

C. 33, §. 119. *isti.* Uolgo *est ei.*

C. 34, §. 122. *ne in eiusmodi quidem.* Uolgo *in eiusmodi quidem.*

Ibidem. *volent.* Uolgo *volent.*

C. 37, §. 133. *Sale uero conditis facetiis.* Uolgo *Sale uero et facetiis.*

C. 40, §. 144. *qui causam.* Uolgo *cum causam.*

C. 42, §. 151. *maior necessaria est.* Uolgo *maior inest.*

C. 45, §. 159. *ita foeda partim, partim.* Uolgo *partim ita foeda, partim.*

Ibidem. *quicquam, illa.* Uolgo *quicquam illorum.*

Lib. II.

C. 1, §. 4. *temporis in reipublicae tempore.* Uolgo *amicorum et reipublicae temporibus.*

C. 2, §. 5. *In malis igitur maximis.* Uolgo *Maximis igitur in malis.*

Ibidem. *homine quid dignius.* Uolgo *quid homine dignius.*

C. 3, §. 9. *id est, facultates.* Uolgo *facultates.*

C. 4, §. 14. *ex is, quae sint inanima.* Uolgo *ex rebus is, quae sunt inanimae.*

C. 4, §. 15. *Qui enim aegris subueniretur* (cum Gernhardo et Beiero). Uolgo *Quid enim aegris subueniret.*

C. 8, §. 28. *impunita esse scelera tum sissemus.* Uolgo *impunita scelera tulissemus.* Nonius sic: *impunitates scelerum tulissemus.*

C. 8, §. 29. *sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta idem.* Uolgo *idem sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta.*

C. 10, §. 36. *putant, id est.* Uolgo *putant et.*

Ibidem. *condemnantur.* Uolgo *contemnuntur.*

C. 11, §. 40. *Isque etiam.* Uolgo *Atque is etiam.*

C. 12, §. 42. *quaerendae ratio est solum.* Uolgo *quaerendae solum ratio est.*

C. 13, §. 45. *si quae.* Uolgo *si qua.*

C. 14, §. 50. *pro Sardis in Albucio Iulius* (cum Orellio). Uolgo *pro Sardis: pro M. Albucio Iulius*.

C. 15, §. 52. *uel liberalitate*. Uolgo *ac de liberalitate*.

Ibidem. *latur* (ex coniectura Chappmanni et Heumannii). Uolgo *lautior*. Restitui autem uersum hunc:

latur, splendidior, dignior uiro forti claroque.

Uolgo in Ciceronis oratione sic legitur: *lautior ac splendidior et uiro forti claroque dignior*.

C. 16, §. 54. *ut possit*. Uolgo *et possit*.

C. 16, §. 55. *profundunt, rebus*. Uolgo *profundunt in eas res*.

C. 16, §. 56. *Aristo Cens* (cum Beiero). Uolgo *Aristoteles*.

C. 17, §. 58. *Crassi*. Uolgo *Oresti*.

Ibidem. *nuper per*. Uolgo *nuper*.

Ibidem. *iactura Miloni*. Uolgo *nostro Miloni*.

Ibidem. *qui quidem*. Uolgo *qui*.

C. 18, §. 62. *et in deligendis*. Uolgo *set in deligendis*.

C. 19, §. 66. *facultas gratior, grauior, ornatior*.

Uolgo *grauior facultas et gratior et ornatior*.

C. 20, §. 69. *uel optimi*. Uolgo *et optimi*.

C. 20, §. 70. *partum*. Uolgo *paratum*.

C. 23, §. 81. *possessione moueri*. Uolgo *possessiones moueri*.

C. 24, §. 84. *totum hoc tantum*. Uolgo *hoc tantum*.

Ibidem. *est et facilius*. Uolgo *nec facilius*.

Lib. III.

C. 2, §. 6. *tam haut*. Uolgo *tum haut*.

C. 4, §. 16. *ut Aristides* (ex coniectura Gernhardi). Uolgo *aut Aristides*. Paulo post *ab hoc* ex Lactantio (*Inst.* 6, 6, 26) cum Beiero *pro ab his*.

C. 4, §. 18. *honestum est*. Uolgo *honestum*.

C. 4, §. 20. *quibus et, quicquid* (cum Beiero). Uolgo *quibus, quicquid*.

C. 6, §. 28. *I sibi*. Uolgo *Hi sibi*.

C. 7, §. 34. *manibus*. Uolgo *manus*.

C. 9, §. 39. *hi quid ualeat*. Uolgo *quid ualeat*.

C. 10, §. 46. *utile, quod uidetur*. Uolgo *id, quod utile uidetur*.

C. 11, §. 47. *Famius* (cum Beiero). Uolgo *Pennus*.

C. 12, §. 51. *Antipater*. Uolgo *Antipatro*.
 Ibidem. *agentem: quoniam*. Uolgo *agere et, quoniam*.

C. 13, §. 55. *laudauerit*. Uolgo *laudarunt*.

C. 13, §. 57. *cum quicquid*. Uolgo *quicquid*.

C. 15, §. 61. *contra rem liceatur*. Uolgo *contra liceatur*.

C. 16, §. 66. *Istaque*. Uolgo *Itaque*.

C. 18, §. 73. *huius tum*. Uolgo *eiusdem*.

C. 18, §. 74. *hunc au! dico*. Uolgo *hunc dico*.

C. 19, §. 77. *tale is*. Uolgo *talis uir*.

C. 20, §. 82. *tantum si*. Uolgo *si*.

C. 22, §. 86. *nolle*. Uolgo *non*.

C. 22, §. 88. *prae fracte enim*. Uolgo *prae fracte*.

Nonius sic: *prae fractum*.

C. 23, §. 89. *quam is nauigantem*. Uolgo *quam nauigantem*.

C. 23, §. 91. *Is, qui*. Uolgo *Qui*. Nonius sic: *Si qui*.

C. 24, §. 92. *dubitauerim*. Uolgo *facta sint*.

C. 24, §. 93. *saepius*. Uolgo *sapiens*.

Ibidem. *mentitus sit, ex*. Uolgo *mentietur, si ex*.

C. 25, §. 95. *in eo illo*. Uolgo *eo*.

C. 26, §. 97. *quoniamque*. Uolgo *quoniam, quae*.

C. 26, §. 99. *iterum csset*. Uolgo *iterum*.

Ibidem. *nisi redditi Poenis captiui nobiles quidam essent*. Uolgo *nisi redditi essent Poenis captiui nobiles quidam*.

C. 27, §. 100. *tum, tum*. Uolgo *tum*.

C. 28, §. 103. *dicimus*. Uolgo *dicamus*.

C. 30, §. 110. *cui id*. Uolgo *cui*.

C. 32, §. 114. *censuit non*. Uolgo *non censuit*.

C. 33, §. 117. *ut laborum*. Uolgo *laborumque*.

Nonius sic: *laborum*.

Restat, ut eos locos indicem, quos transpositione mihi uideor sanasse.

Lib. I.

C. 14, §. 44. *quae proficisci a uoluntate magis quam ab ostentatione uideantur* (uide *Corrigenda*). Uolgo *quae proficisci ab ostentatione magis quam a uoluntate uideantur*.

C. 18, §. 61. *gloriae eo quoque, quod statuas uideamus* (adde ad *Corrigenda*). Uolgo *gloriae, quod statuas quoque uideamus*. Addidi autem eo item de coniectura.

C. 19, §. 63. *Praeclarum igitur non solum illud Platonis: „Scientia — appellanda“; uerum etiam „Animus — fortitudinis“ (adde ad Corrigenda). Uolgo Praeclarum igitur illud Platonis: „Non solum, inquit (Orellius cum plerisque codicibus Non, inquit, solum) scientia — appellanda; uerum etiam animus — fortitudinis.“ Deleui autem inquit de coniectura.*

C. 38, §. 136. *Set ut ad urendum et secundum, si nulla reperietur alia medicina: sic ad hoc genus castigandi raro inuitique ueniemus, nec unquam, nisi necessario; set tamen ira procul absit. Uolgo Set ut ad urendum et secundum: sic ad hoc genus castigandi raro inuitique ueniemus, nec unquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina; set tamen ira procul absit.*

Lib. II.

C. 3, §. 11. *alterum hominum. Earumque item rerum, quae noceant et obsint, eadem diuisio est. Set quia deos nocere non putant, is exceptis, homines hominibus obesse plurimum arbitrantur. Deos placatos pietas efficit et sanctitas; proxime autem et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. Ea enim ipsa. Uolgo alterum hominum. Deos placatos pietas efficit et sanctitas; proxime autem et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. Earumque item rerum, quae noceant et obsint, eadem diuisio est. Set quia deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum arbitrantur. Ea enim ipsa.*

Lib. III.

C. 9, §. 38. *ipse induit; tum (erat autem regius pastor) in concilium. Uolgo ipse induit (erat autem regius pastor); tum in concilium.*

§. II.

Indicantur loci, qui sunt emendati ex Nonio.

Nonium interdum negligenter uel etiam memoriter laudauisse ex antiquo suo codice, negabit nemo (cf. I. F. Heusingerum ad I, 26, 91; 31, 114; II, 1, 2; 2, 5; III, 25, 95); at profecto melius ab is, quae debentur negli-

gentiae, debebant discerni ea, quae sunt Tulliana. Si quis uero sibi non potuerit persuadere, codicem Noni ualde discrepuisse ab is, qui ad nostram aetatem peruenerunt, hunc oportet reputare, codicem illum, ex quo nostri codices librorum *de Officiis* fluxerunt omnes, sine dubio septimi demum esse saeculi, quinti aut, si forte, quarti codicem, quem ante oculos habuit Nonius. Accedit, quod plerunque siue ipsa sententia siue Latinitas id flagitat, quod praebet Nonius. Ex corruptelis autem Noni ueras interdum posse erui lectiones, uideris ex paragrapho prima.

Lib. I.

C. 17, §. 56. *ultimum in amicitia putauit.* Uolgo *woll in amicitia.*

C. 17, §. 57. *lustraueris.* Uolgo *lustraris.*
Ibidem. *et lacerauerunt.* Uolgo *lucerarunt.*

C. 25, §. 88. *grauiter qui.* Uolgo *qui grauiter.*

Ibidem. *putant — censent.* Uolgo *putabunt — censebunt.*

C. 26, §. 90. *solent.* Uolgo *soleant.*

C. 30, §. 106. *delicate.* Uolgo *et delicate.*

C. 32, §. 118. *optant.* Uolgo *exoptant.*

Lib. II.

C. 5, §. 16. *colligatis.* Uolgo *collectis.*

C. 7, §. 25. *adurebat.* Uolgo *sibi adurebat.*

C. 10, §. 36. *condemnant.* Uolgo *contemnuunt.*

C. 13, §. 46. *se fore.* Uolgo *fore se.*

C. 19, §. 68. *debeant.* Uolgo *debent.*

Lib. III.

C. 2, §. 10. *Accedit eo.* Uolgo *Accedit eodem.*

C. 3, §. 15. *quod idem.* Uolgo *quod item.*

C. 5, §. 24. *Etenim.* Uolgo *Etenim multo.*

C. 8, §. 36. *postremo haec iam.* Uolgo *postremo etiam.*

C. 9, §. 38. *obstare intelligebat.* Uolgo *obstare arbitrabatur.*

C. 10, §. 42. *manu pellere.* Uolgo *manu depellere.*

C. 16, §. 65. *duodecim.* Uolgo *duodecim tabulis.*

C. 16, §. 66. *emptorem indemnem damno.* Uolgo *emptori damnum.*

C. 27, §. 101. *Stulte?* Uolgo *Quomodo stulte?*

C. 33, §. 117. *et seruiensis.* Uolgo *seruiensis.*

C. 33, §. 118. *quomodo.* Uolgo *quoquo modo.*

Conferri iubeo etiam hos locos, quibus dudum plerique editores Nonium sunt secuti.

Lib. I.

C. 25, §. 88. *uerbis fatigat pro uerbis castigat.*

Lib. II.

C. 4, §. 15. *mutuandisque facultatibus et commo-
dandis pro mutandisque facultatibus et commodis.*

§. III.

Indicantur loci, quibus *utriusque familiae optimo-
rum codicum* lectio restituta est.

Omnes, qui adhuc collati sunt codices librorum *de Officiis*, fluxerunt ex uno codice saeculi siue septimi siue sexti: quem codicem, non potest dubitari, quin scripserit grammaticus satis indoctus et hebeti praeditus ingenio. Tali enim homine digna sunt peruersa ista additamenta et minora et maiora, quae in his libris deprehenduntur. Atque illum quidem grammatici codicem duo descripserunt librarii, unus accuratissime, alter negligenter

saepe et raptim. Duae uero, quae sunt omnino nostrorum librorum manu scriptorum familiae, originem ducunt ex duobus his codicibus, descriptis ex codice illo grammatici. Atque ex accuratissime quidem descripto codice profecti sunt pauciores codices hi: Bernensis tert., Augustanus, Parcensis, Palatinus prim., Graeuianus prim. (quodammodo etiam Bernenses quart. et quint.); ex altero ceteri codices omnes. In quo numero excellunt Bernenses prim. et sec., unus Terti, unus Balduini, pauci Petri Suffridi, Guelpherbytaui primi tres, Gothanus. Ei quoque codices, quos habuerunt scholiastes Guelpherbytanus, Uincentius Bellouacus, Beda Uenerabilis, Ioannes Sarisberiensis, annumerandi sunt codicibus deterioris familiae. Ex optimis autem utriusque familiae codicibus restitui lectiones has.

Lib. I.

C. 1, §. 2. *Socratici.* Uolgo et *Socratici.*

Ibidem. *hoc arroganter.* Uolgo *arroganter hoc.*

C. 3, §. 8. *quoniam.* Uolgo *quod.*

C. 3, §. 9. *Nam aut.* Uolgo *Nam.*

C. 4, §. 11. *quae sint* (uide *Corrigenda*). Beierus et Orellius *quae sunt.*

C. 6, §. 19. *audiuimus* (uide *Corrigenda*). Uolgo *audimus.*

Ibidem. *cogitationis.* Orellius, alii *cognitionis.*

C. 7, §. 21. *e quo si qui sibi appetet.* Uolgo *eo si qui sibi plus appetet.*

C. 7, §. 23. *est iustitiae.* Uolgo *iustitiae est.*

C. 8, §. 26. *diuina et humana.* Uolgo *diuina atque humana.*

C. 9, §. 28. *expetant — soleant.* Uolgo *expetunt — solent.*

Ibidem. *alterum iustitiae genus.* Uolgo *alterum genus.*

Ibidem. *debent.* Uolgo *debeant.*

C. 10, §. 32. *ea noceant.* Uolgo *noceant.*

C. 10, §. 33. *ne cupide.* Uolgo *ut ne cupide.*

C. 11, §. 36. *patitur* (uide *Corrigenda*). Uolgo *pateretur.*

C. 12, §. 37. *efficit.* Uolgo *effecit.*

C. 14, §. 43. *Syllae, C. Caesaris.* Uolgo *Syllae et C. Caesaris.*

C. 15, §. 47. *diligamur.* Uolgo *diligimur.*

C. 15, §. 49. *uel morbo.* Uolgo *uel modo.*

C. 16, §. 51. *praecipit.* Uolgo *praecipitur.*

C. 17, §. 56. *ultra et citra datis acceptisque.* Uolgo *ultra citra datis acceptis.*

C. 18, §. 61. *humanasque.* Uolgo *humanas.*

C. 19, §. 63. *fortis, magnanimos.* Uolgo *fortis et magnanimos.*

C. 19, §. 64. *enim est.* Uolgo *est enim.*

C. 20, §. 66. *cum uitae.* Uolgo *tum uitae.*

C. 20, §. 68. *etiam est.* Uolgo *est etiam.*

C. 20, §. 69. *cum cupiditate.* Uolgo *tum cupiditate.*

Ibidem. *remouerint — perfugerint.* Uolgo *remouerunt — perfugerunt.*

C. 21, §. 72. *quam saepe dico, et.* Uolgo *et ea, quam saepe dico.*

C. 22, §. 76. *Lacedaemoniis.* Uolgo *Lacedaemonis.*

C. 24, §. 84. *etiam uitam.* Uolgo *uitam etiam.*

C. 25, §. 86. *etiam pestifera.* Uolgo *pestifera etiam.*

C. 25, §. 88. *inimicis irascendum.* Uolgo *irascendum inimicis.*

Ibidem. *altitudo* (etiam Nonius). Orellius *lenitudo.*

C. 26, §. 92. *pareat.* Uolgo *pateat.*

C. 28, §. 99. *set etiam omnino.* Orellius *set [etiam] omnino.*

C. 29, §. 104. *igitur est.* Uolgo *est igitur.*

C. 30, §. 108. *praeripere.* Uolgo *praecipere.*

C. 30, §. 109. *classis.* Uolgo *classi.*

Ibidem. *idemque.* Uolgo *itemque.*

C. 32, §. 118. *dicunt.* Uolgo *dicunt.*

Ibidem. *non idem.* Uolgo *non item.*

- C. 33, §. 120. *tanquam ipsa*. Uolgo *ipsa*.
 C. 34, §. 123. *accessit*. Uolgo *accesserit*.
 C. 35, §. 128. *non sint*. Uolgo *non sunt*.
 Ibidem. *teneat*. Uolgo *teneant*.
 C. 36, §. 130. *est habenda*. Orellius [*est*] *habenda*.
 C. 36, §. 131. *autem est*. Uolgo *est autem*.
 C. 37, §. 133. *illo ipso*. Uolgo *ipso illo*.
 C. 40, §. 143. *harum similibus*. Uolgo *earum similibus*.
 C. 40, §. 144. *Sophoclem poetam*. Uolgo *Sophoclem*.
 C. 40, §. 145. *apparet — desiderat*. Uolgo *apparent — desiderant*.
 C. 41, §. 146. *ex summissione*. Uolgo *cum Nonio et summissione*.
 C. 41, §. 147. *de qua* (cum optimis deterioris familiae codicibus). Uolgo *qua de*.
 C. 43, §. 152. *haec in*. Uolgo *eae in*.
 C. 43, §. 153. *diuinarum et humanarum*. Uolgo *diuinarum atque humanarum*.
 Lib. II.
 C. 2, §. 5. *enim est*. Uolgo *est enim*.
 C. 2, §. 8. *posset*. Uolgo *possit*.
 C. 4, §. 14. *sint*. Uolgo *sunt*.
 C. 9, §. 32. *is*. Uolgo *eis*.
 C. 13, §. 44. *sumus*. Uolgo *simus*.
 C. 13, §. 47. *de Demosthene* (uide *Corrigenda*).
 Uolgo *Demosthenem*.
 C. 14, §. 49. *et ex*. Uolgo *et*.
 C. 15, §. 53. *dein*. Uolgo *deinde*.
 C. 17, §. 60. *tamen haec*. Orellius *haec tamen*.
 Ibidem. *tum ipsum*. Uolgo *tamen ipsa*.
 Lib. III.
 C. 1, §. 1. *sit* (etiam Nonius). Uolgo *est*.
 C. 3, §. 12. *debuisset eiusmodi*. Uolgo *eiusmodi debuisset*.
 C. 5, §. 23. *id est, iure*. Orellius *et iure*.
 C. 6, §. 30. *aut appetitio*. Uolgo *atque appetitio*.
 C. 10, §. 41. *nec probabilem*. Uolgo *neque probabilem*.
 C. 10, §. 45. *factus est*. Orellius *factus † est*.
 C. 12, §. 50. *uidetur*. Uolgo *uideatur*.
 C. 12, §. 53. *suum cuiusque* (uide *Corrigenda*).
 Uolgo *suum cuiusquam*.

- C. 13, §. 54. *id iniuste.* Beierus et Orellius *iniuste.*
 C. 15, §. 63. *de officio.* Uolgo *de officiis.*
 C. 15, §. 64. *igitur est.* Beierus et Orellius *est*
igitur.
 C. 23, §. 89. *utilitate, ut putat.* Uolgo *utilitate.*
 C. 24, §. 92. *Si quis.* Orellius *Si qui.*
 C. 25, §. 96. *uersemur.* Uolgo *uersabimur.*
 C. 26, §. 99. *nostramque.* Uolgo *nostraque.*
 Ibidem. *negat* (cum optimis deterioris familiae co-
 dicibus). Uolgo *neget.*
 C. 28, §. 102. *dicunt.* Orellius [*dicunt*].
 C. 33, §. 119. *Calliphontem.* Orellius *Calliphonem.*

§. IV.

Indicantur loci, quibus lectio *Bernensis tert.*
 recepta est.

Cum *Bernensis tert.* apud Orellium, scriptus quidem saeculo tertio decimo, uerumtamen descriptus, si non ex codice ipso antiquissimo, at ex satis accurato exemplo codicis antiquissimi, unus omnino sit codex ex meliore illa codicum familia, qui collatus est accurate: apparebit, opinor, uel maximam huius codicis debere esse auctoritatem. Mirabiliter enim acciderat, ut, cum editores inde ab inuenta arte typographica usque ad Anemoccium (1541) codices secuti essent deterioris familiae, Anemoccius ex Augustano suo, antiquissimo praestantioris familiae codice, multas quidem reciperet lectiones, quas solas ueras esse facile quisque poterat intelligere, uerumtamen ipse quoque admodum plenus superstitiosae pietatis erga uolgas lectiones non auderet hos

libros prorsus immutare, ut necesse erat, ex illo codice. Itaque permultae Augustani lectiones, quamuis fuerint uerae, prorsus neglectae sunt ab Anemoccio et, si quaeras de discrepantibus illius codicis ordinibus uerborum, nunquam uidetur prauos uolgatos ordines ex codice suo correxisse. Diligentius aliquanto usus est Carolus Langius (1563) praestantissimo suo codice Parcensi, qui pertinebat ad eandem familiam meliorem: set hic quoque id egit, ut egregias tantum sui codicis lectiones reciperet; uolgatam autem, ex deterioris familiae codicibus constitutam, orationem non prorsus ex Parcensi immutaret. Eodemque consilio postea suis codicibus eiusdem familiae usi sunt Gruterus (1618) et Graeuus (1688): quanquam Graeuus, quod ad ordines uerborum attinet, interdum etiam hos ex mancis suis membranis correxit.

Tandem aliquando contigit, ut et inueniretur egregius codex Bernensis tert., ad eandem pertinens familiam, et conferretur accuratissime. Et cum ex eo, quod hic codex omnis fere illas lectiones, quas uel Anemoccius uel Langius uel Gruterus uel Graeuus ex suis codicibus ausi erant recipere, confirmauit, debet concludi, hunc codicem omnium maximam habere auctoritatem, tum ex eo,

quod ipse permultas egregias praebuit lectiones, quas illi editores ex suis codicibus non enotauerant. Cum uero omnes hi codices praestantes ex uno eodemque libro, id est, ex illo accuratissime descripto exemplo codicis principis, duxerint originem ac tamen lectiones egregias aliis locis dicatur praebuisse Augustanus, aliis Parcensis, aliis Palatinus prim., aliis Graeuianus prim., has cunctas fere autem confirmet Bernensis tert.: nihil profecto sequitur aliud, nisi praeter Bernensem tert. negligentissime omnis illos codices esse collatos; sine dubio autem plerasque eas lectiones, quae nunc enotatae sunt ex Bernensi tert., fuisse iam in illis codicibus.

Prorsus autem ego correxi hos libros ex Bernensi tert., repudiatis modo temerariis lectionibus, quae uel ipsi debentur librario, qui scripsit Bernensem tert., uel ei, cuius exemplum descripsit librarius Bernensis tert.. Atque his quidem locis recepi ex praestantissimo codice lectionem.

Lib. I.

C. 1, §. 1. *arbitrentur, se aliquantum* (aliquantulum).
Uolgo *aliquantum se arbitrentur*.

C. 1, §. 3. *genus orationis*. Uolgo *orationis genus*.

C. 1, §. 4. *delectatus suo studio*. Uolgo *suo studio delectatus*.

C. 1, §. 7. *partis omnis*. Uolgo *omnis partis*.

Ibidem. tamen id minus (uide Corrigenda). Orellius, alii tamen minus id.

Ibidem. explicandum his libris (in his libris). Uolgo his libris explicandum.

C. 3, §. 8. *commune καθήκον. Orellius commune [officium] καθήκον.* Uolgo *commune officium καθήκον.*

C. 4, §. 12. *coetus hominum. Uolgo hominum coetus.*

C. 6, §. 19. *inuestigatione ueri. Uolgo ueri inuestigatione.*

Ibidem. quiescit. Uolgo acquiescit.

C. 7, §. 22. *ipsi inter sese. Uolgo ipsi inter se.*

C. 7, §. 23. *cuiquam fortasse. Uolgo fortasse cuiquam.*

Ibidem. possint. Uolgo possunt.

C. 8, §. 24. *afficiatur aliquo. Uolgo aliquo afficiatur.*

C. 8, §. 27. *cogitato. Orellius cogitate. Uolgo cogitata.*

C. 9, §. 28. *Aut enim. Uolgo Nam aut.*

Ibidem. in altero delincunt. Uolgo in alterum incidunt.

C. 9, §. 30. *ipsa per sese. Uolgo ipsa per se.*

C. 11, §. 37. *factum a consule esse (uide Corrigenda). Uolgo factum esse a consule.*

C. 12, §. 37. *etiam animaduerte (animaduerto) illud. Orellius etiam illud animaduerto. Uolgo illud etiam animaduerto.*

Ibidem. iam recessit. Uolgo recessit.

C. 13, §. 39. *datam hosti. Uolgo hosti datam.*

C. 15, §. 47. *gratia sit. Uolgo sit gratia.*

C. 15, §. 48. *debemus facere. Uolgo facere debemus.*

Ibidem. debemus esse. Uolgo esse debemus.

C. 15, §. 49. *paria sint. Uolgo paria sunt.*

C. 17, §. 54. *hoc natura sit. Uolgo sit hoc natura.*

Ibidem. rerum est publicarum. Uolgo est rerum-publicarum.

C. 18, §. 59. *temporum. Sunt autem (adde ad Corrigenda). Uolgo temporum; suntque.*

Ibidem. intelligatur. Uolgo intelligas.

C. 19, §. 64. *utcumque. Uolgo ui.*

C. 20, §. 67. *In eo enim est illud (adde ad Corrigenda). Uolgo In eo est enim illud.*

Ibidem. discedat. Uolgo discedas.

C. 20, §. 68. *se inuictum. Uolgo inuictum se.*

- C. 20, §. 69. *animi est. Uolgo est animi.*
 C. 21, §. 70. *sit commune. Uolgo commune sit.*
 C. 21, §. 73. *honestu res. Uolgo res honesta.*
 C. 22, §. 75. *hoc praeclarum. Uolgo praeclarum hoc.*
 C. 22, §. 76. *id ipsum tamen. Uolgo tamen id ipsum.*
 C. 22, §. 78. *etiam plus. Uolgo plus etiam.*
 C. 23, §. 80. *magis quidem. Uolgo quidem magis.*
 C. 24, §. 82. *anteponunt. Uolgo anteponant.*
 C. 25, §. 85. *tueantur. Uolgo tuentur.*
 C. 26, §. 90. *simus. Uolgo sumus.*
 C. 26, §. 92. *multos et fuisse. Uolgo et fuisse multos.*
 C. 27, §. 94. *ratio est. Uolgo est ratio.*
 C. 27, §. 96. *intelligitur. Uolgo intelligimus.*
 C. 29, §. 103. *neque immodestum. Uolgo nec immodestum.*
 Ibidem. *licentiam ludendi. Uolgo ludendi licentiam.*
 C. 30, §. 108. *nominauerunt. Orellius nominauerunt.*
 C. 31, §. 113. *se esse. Orellius, alii esse se.*
 Ibidem. *perueniret. Uolgo ueniret.*
 C. 32, §. 116. *sequantur. Uolgo consequantur.*
 C. 34, §. 122. *ciuilibus rebus. Uolgo ciuilibus officiis.*
 C. 34, §. 125. *ciuem bonum. Uolgo bonum ciuem.*
 Ibidem. *agenda. Uolgo gerenda.*
 C. 35, §. 128. *moribus ac uerbis. Uolgo uerbis.*
 C. 35, §. 129. *oratoribusue. Uolgo oratoribusque.*
 C. 36, §. 130. *debemus ducere. Uolgo ducere debemus.*
 Ibidem. *saepe sunt (uide Corrigenda). Orellius, alii sunt saepe.*
 Ibidem. *gestus nonnulli. Uolgo nonnulli gestus.*
 Ibidem. *inepti non uacant offensione. Orellius, alii ineptis non uacant.*
 C. 36, §. 131. *mouetur. Uolgo mouentur.*
 C. 36, §. 132. *obedientem rationi. Uolgo rationi obedientem.*
 C. 37, §. 132. *persequatur. Uolgo sequatur.*
 C. 37, §. 135. *modus desinendi. Uolgo desinendi modus.*
 C. 39, §. 139. *enim domo est dignitas. Uolgo est enim dignitas domo.*
 C. 39, §. 140. *sunt imitati. Orellius, alii imitati. Uolgo imitati sunt.*

- C. 40, §. 144. *igitur est.* Uolgo *est igitur.*
 Ibidem. *Sophocles hoc idem.* Uolgo *hoc idem Sophocles.*
 Ibidem. *si quis.* Uolgo *si qui.*
 C. 40, §. 145. *si quis.* Beierus et Orellius *si qui.*
 C. 41, §. 146. *ex contractione aut remissione superciliorum.* Uolgo *ex superciliorum aut remissione aut contractione.*
 C. 41, §. 149. *generis totius.* Uolgo *totius generis.*
 C. 42, §. 151. *est putanda.* Uolgo *putanda est.*
 Ibidem. *sic ex.* Uolgo *ex.*
 Ibidem. *se portu.* Uolgo *portu se.*
 C. 43, §. 153. *naturae esse.* Uolgo *esse naturae.*
 C. 43, §. 154. *reapse* (sic iam Orellius). Uolgo *re ipsa.*
 C. 43, §. 155. *debet esse.* Uolgo *esse debet.*
 C. 44, §. 155. *illi ipsi.* Uolgo *illi.*
 C. 44, §. 156. *ac praesentes.* Uolgo *atque praesentes.*
 C. 45, §. 159. *ea sit.* Uolgo *sit etiam.*
 Ibidem. *ne res quidem publica.* Orellius, alii *ne respublica quidem.*

Lib. II.

- C. 1, §. 1. *dixi quæri.* Uolgo *quæri dixi.*
 C. 1, §. 2. *nostri libri.* Uolgo *libri nostri.*
 Ibidem. *me in ea tantum.* Uolgo *in ea tantum me.*
 C. 2, §. 7. *ab eis.* Uolgo *ab his.*
 C. 3, §. 9. *vitæ hominum potuit afferri maior.* Uolgo *maior hominum vitæ potuit afferri.*
 C. 3, §. 10. *genere* (sic iam Orellius; Beierus autem sic de coniectura). Uolgo *genera.*
 C. 3, §. 12. *nec eis.* Orellius *nec is.* Uolgo *nec his.*
 Ibidem. *nec navigatio nec — nec.* Uolgo *neque navigatio neque — neque.*
 C. 4, §. 13. *humano generi.* Uolgo *generi humano.*
 C. 4, §. 15. *multa.* Uolgo *multae.*
 C. 5, §. 16. *enim est.* Uolgo *est enim.*
 C. 5, §. 17. *primum et hoc.* Uolgo *proprium hoc.*
 C. 6, §. 22. *autem aut.* Uolgo *enim aut.*
 C. 7, §. 23. *ualeat.* Uolgo *ualet.*
 C. 8, §. 28. *sol quicquam.* Uolgo *quicquam sol.*

Ibidem. *multos ad improbos. Uolgo ad multos improbos.*

C. 8, §. 29. *maluimus. Orellius, alii malumus.*

C. 9, §. 31. *animos uniuersorum. Uolgo uniuersorum animos.*

C. 9, §. 32. *nonnullae praeterea. Uolgo praeterea nonnullae.*

C. 10, §. 36. *is tribus. Uolgo tribus.*

C. 10, §. 37. *ceteros. Uolgo ceteris.*

Ibidem. *maioris partis animos (sic iam Orellius; Beierus autem sic de coniectura Chapmanni). Uolgo maiores partis animi.*

C. 10, §. 39. *iniustique habebuntur, nullis (coniecerat sic Olshausenius). Orellius iniusti habebuntur et nullis. Uolgo iniusti habebuntur, nullis. Uncinis circumdant uerba iniusti habebuntur Facciolatus et Gerhardus, delent Schuetzius et Beierus.*

C. 12, §. 41. *constituta. Uolgo constituenda.*

Ibidem. *fuit legum. Uolgo legum fuit.*

C. 12, §. 42. *aequabile quaesitum. Uolgo quaesitum aequabile.*

C. 12, §. 43. *inani et. Uolgo et inani.*

C. 13, §. 44. *uideamur esse. Uolgo esse uideamur.*

C. 13, §. 45. *atque ad (sic etiam Nonius). Uolgo et ad.*

Ibidem. *commendatio adolescenti. Uolgo adolescenti commendatio.*

C. 13, §. 46. *rebus relicuis. Uolgo relicuis rebus.*

C. 14, §. 48. *enim est. Uolgo est enim.*

Ibidem. *potest fieri. Uolgo fieri potest.*

C. 14, §. 49. *iudices et apud populum. Uolgo iudices.*

C. 14, §. 50. *patrocinandi. Uolgo patrocini.*

C. 14, §. 51. *nullo fieri pacto (uide Corrigenda). Uolgo fieri nullo pacto.*

Ibidem. *ipsa et. Uolgo et.*

C. 15, §. 53. *accepit. Uolgo accipit.*

C. 16, §. 55. *gladiatorius. Uolgo gladiatorum.*

C. 16, §. 57. *et iam (etiam). Uolgo iam.*

C. 17, §. 58. *attulit repulsam. Uolgo repulsam attulit.*

Ibidem. *id uitio. Uolgo uitio.*

Ibidem. *cum. Uolgo quod.*

C. 17, §. 60. *necessaria est. Uolgo necessaria.*

C. 18, §. 64. *flagitium. Uolgo flagitiosum.*

C. 19, §. 68. *violatum uidebitur.* Uolgo *uidlatum est.*

C. 20, §. 69. *hominis.* Uolgo *hominum.*

Ibidem. *uero tuo.* Uolgo *uero.*

C. 20, §. 70. *se gratum.* Uolgo *gratum se.*

Ibidem. *si forte* (sic iam Orellius). Uolgo *forte.*

C. 21, §. 74. *ad uictum necessariae.* Uolgo *necessariae.*

C. 22, §. 76. *tantam in aerarium pecuniam.* Uolgo *tantum in aerarium pecuniae.*

Ibidem. *in censura fuit* (fuit in censura fuit). I. F. Heusingerus et Orellius *fuit in censura.*

Ibidem. *ornatior uidetur.* Uolgo *uidetur ornatior.*

C. 22, §. 77. *degressa* (digressa). Uolgo *egressa.*

C. 22, §. 79. *accepit.* Uolgo *accipit.*

C. 23, §. 81. *nec is* (sic iam Orellius). Uolgo *nec his.*

C. 23, §. 82. *Cum is.* Uolgo *Cum.*

Ibidem. *persuaderent.* Uolgo *persuaderet.*

C. 23, §. 83. *aedificauerim.* Uolgo *aedificarim.*

C. 24, §. 84. *cum ipsius intererat, tum ea.* Uolgo *ea.*

C. 24, §. 85. *dabunt operam.* Uolgo *operam dabunt.*

Lib. III.

C. 1, §. 2. *neque hoc* (sic iam Orellius). Uolgo *nec hoc.*

Ibidem. *et e.* Uolgo *et a.*

C. 1, §. 3. *oportere minima eligere.* Uolgo *eligere minima oportere.*

C. 2, §. 6. *existimationem.* Uolgo *exspectionem.*

C. 2, §. 10. *in Coa* (choa) *Uenere.* Uolgo *Coae Ueneris.*

C. 3, §. 15. *qui quidem.* Uolgo *qui idem.*

C. 4, §. 17. *est ad uirtutem.* Uolgo *ad uirtutem est.*

C. 5, §. 26. *cuiquam.* Uolgo *cuiquam.*

Ibidem. *in hominibus.* Uolgo *hominibus.*

C. 6, §. 29. *conficiatur ipse.* Uolgo *ipse conficiatur.*

C. 6, §. 30. *multum utilitatis.* Uolgo *multam utilitatem.*

C. 6, §. 31. *decernit.* Suffridus et Orellius *decernit.*

C. 6, §. 32. *enim est.* Uolgo *enim.*

C. 7, §. 34. *Panaetius in hoc.* Orellius, alii in hoc *Panaetius.*

C. 8, §. 37. *impurum.* Uolgo *impium.*

Ibidem. *opinioque ea.* Uolgo *opinioque.*

C. 10, §. 40. *propter utilitatis magnitudinem honestas.* Uolgo *honestas propter utilitatis magnitudinem.*

C. 10, §. 42. *Ut, qui.* Uolgo *Qui.*

C. 10, §. 44. *se deum.* Uolgo *deum se.*

Ibidem. *dedit deus homini.* Uolgo *homini dedit deus.*

Ibidem. *putandae sunt.* Uolgo *putandae sint.*

C. 10, §. 45. *dies commendandorum suorum causa (causa commendandorum suorum) sibi.* Uolgo *sibi dies commendandorum suorum causa.*

C. 11, §. 48. *impetum Persarum.* Uolgo *Persarum impetum.*

C. 11, §. 49. *opus non esse.* Uolgo *non opus esse.*

C. 12, §. 50. *uirum bonum (sic etiam Nouius).*

Uolgo *bonum uirum.*

C. 12, §. 51. *Diogenes.* Uolgo *Diogeni.*

C. 15, §. 61. *UT INTER.* Uolgo *INTER.*

C. 15, §. 62. *uiri hoc boni.* Uolgo *hoc uiri boni.*

Ibidem. *negant sapientis (negant esse sapientis).*

Uolgo *sapientis negant.*

C. 16, §. 65. *IN PRAEDIO ESSET.* Uolgo *ESSET IN PRAEDIO.*

C. 16, §. 66. *rem hanc.* Uolgo *rem eam.*

C. 16, §. 67. *uitium.* Uolgo *uiti.*

C. 17, §. 71. *fraus uenditoris.* Uolgo *uenditoris fraus.*

C. 18, §. 73. *de ueneficis.* Uolgo *ueneficis.*

C. 18, §. 75. *Atque.* Uolgo *Atqui.*

C. 19, §. 75. *id omnino neminem unquam suspicaturum, habeat.* Uolgo *habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum.*

C. 19, §. 76. *complicatam animi sui.* Uolgo *animi sui complicatam.*

C. 20, §. 81. *conturbant.* Uolgo *conturbent.*

C. 21, §. 83. *et id.* Uolgo *idque.*

Ibidem. *et legum.* Uolgo *legum.*

Ibidem. *fuerit.* Uolgo *fuit.*

C. 21, §. 84. *beneuoli (beniuoli sunt).* Uolgo *sunt boni.*

C. 21, §. 85. *censes in animo.* Uolgo *in animo censes.*

C. 22, §. 88. *fulsum debet esse. Uolgo debet fulsum esse.*

Ibidem. *utilitas reipublicae* (sic iam Orellius). Uolgo *utilitas.*

Ibidem. *non utilem diceret esse, aequam fateretur* (sic iam Orellius; Beierus ita de coniectura). Uolgo *utilem esse diceret, non esse aequam fateretur.*

C. 23, §. 90. *ique. Orellius eique.*

C. 24, §. 93. *si quis. Orellius si qui.*

C. 25, §. 96. *uirtuti. Uolgo uirtutis.*

C. 26, §. 98. *Ulixem fuisse. Uolgo fuisse Ulixem.*

Ibidem. *assimulare* (sic iam Orellius). Uolgo *assimulauit.*

C. 27, §. 100. *uirtutum est. Uolgo est uirtutum.*

Ibidem. *tum, inquam. Uolgo tum.*

C. 29, §. 104. *et quasi. Uolgo quasi.*

Ibidem. *Ioui Optimo Maximo* (Ioui). Uolgo *Iouis Optimi Maximi.*

C. 29, §. 106. *quaerant latebram. Uolgo quaeratur latebra.*

C. 31, §. 112. *dies sibi. Uolgo sibi dies.*

Ibidem. *congressus. Uolgo ingressus.*

C. 32, §. 114. *periculum mortis defugissent* (sic iam Orellius). Uolgo *periculo mortis diffugissent.*

C. 32, §. 115. *Set etiam* (iam) *huius loci finis sit. Uolgo Sit iam huius loci finis.*

Prope triginta autem lectiones ex his, quas ego nunc ex Bernensi tert. restitui, iam Graeuus receperat ex suis membranis. Omnes uero editores eum debebant sequi, non pauci, ut I, 7, 23 (*possint*); 12, 37 (*iam recessit*); 15, 49 (*paria sint*); 31, 113 (*perueiret*); 36, 130 (*inepti non uacant offensione*); 36, 131 (*mouetur*); 37, 132 (*persequatur*); II, 7, 23 (*ualeat*); 8, 28 (*sol quicquam*); 10, 37 (*ceteros*); 16, 55 (*gladiatoris*); 20, 69 (*uero tuo*); 22, 76 (*tantam in aerarium pecuniam*); III, 4, 17 (*est ad uirtutem*); 5, 26 (*cuipiam*), 7, 34 (*Panaetius in hoc*); 11, 49 (*opus non esse*); 17, 71 (*fraus uenditoris*); 20, 81 (*conturbant*); aliis locis.

Iam uero indicandi sunt ei loci, quibus Bernensis tert. confirmauit uolgas lectiones, receptas a plerisque editoribus ex uno alteroue codice eiusdem familiae praestantioris: ut agnoscatur maxima huius codicis auctoritas.

Lib. I.

C. 29, §. 104. *si rerum turpitudine adhibetur aut uerborum obscenitas* (sic etiam Nonius). *Deterior familia si rerum turpitudini adhibetur uerborum obscenitas.*

C. 31, §. 112. *alius in eadem causa non debeat.*

Det. fam. haec uerba omittit.

C. 31, §. 114. *assequamur.* Det. fam. *sequamur.*

C. 35, §. 126. *turpem.* Det. fam. *formam.*

C. 35, §. 128. *re turpia.* Det. fam. aut *turpia re* aut omittit *re.*

Ibidem. *ducamus.* Det. fam. *dicamus.*

C. 37, §. 135. *enim omnes.* Det. fam. omittit *omnes.*

C. 39, §. 139. *cuiusque modi* (sic etiam Nonius),

Det. fam. aut *generis pro modi* aut omittit.

C. 43, §. 153. *φρόνησιν.* Det. fam. *φρόνησιν dicunt.*

C. 43, §. 155. *caritatem.* Det. fam. *utilitatem.*

C. 44, §. 158. *initam.* Det. fam. *istam.*

Lib. II.

C. 1, §. 4. *molestius posse* (sic etiam Nonius). Det. fam. omittit *molestias.*

C. 5, §. 16. *belli.* Det. fam. *bello.*

C. 5, §. 17. *in usu et tractatione.* Det. fam. omittit *in usu et.*

C. 6, §. 22. *promissisque.* Det. fam. *promissionisque.*

C. 7, §. 23. *paretque cum maxime mortuo.* Det. fam. aut corrumpit aut omittit.

C. 9, §. 34. *ualeat.* Det. fam. *ualet.*

C. 12, §. 41. *initio.* Det. fam. uel *in otio* uel *inops.*

Ibidem. *retinebat.* Det. fam. uel *pertinebat* uel *continebat* uel *tenebat.*

C. 14, §. 48. *blande appellando delebant.* Det. fam. *blande* (uel *blando*) *appellando sermone delebant.*

C. 14, §. 50. *ut i, quos ante dixi, aut ulciscendi.* Det. fam. haec omittit.

C. 14, §. 51. *modo ne nefarium* (sic etiam Nonius). Det. fam. *et nefarium.*

C. 15, §. 53. *ratio.* Det. fam. *rationis.*

Ibidem. *praebitorem sperent fore? Bene ministrum et praebitorem, quia sordidum regi.* Det. fam. *praebitorem putent? Quo quid sordidius regi.*

C. 16, §. 56. *in re uel.* Det. fam. *uel in re.*

- Ibidem. *cogantur mina. Det. fam. cogerentur mina.*
 C. 18, §. 63. *longe antepono* (sic etiam Lactantius).
 Det. fam. omittit *longe.*
 C. 19, §. 66. *in toga dignitatis. Det. fam. in tota dignitatis* (uel *dignitate*).
 C. 19, §. 68. *animum aduertant. Det. fam. animaduertant.*
 C. 20, §. 69. *postulari. Det. fam. aut postulari.*
 C. 21, §. 75. *si quando. Det. fam. omittit si.*
 Ibidem. *tantum fuit. Det. fam. tantum fuit roboris.*
 C. 22, §. 76. *abstinentiae. Det. fam. sapientiae.*
 Ibidem. *detulit. Det. fam. intulit.*
 C. 22, §. 77. *republicam. Det. fam. et rempublicam.*
 C. 22, §. 78. *i labefactant. Det. fam. omittit i.*
 C. 23, §. 81. *moueri. Det. fam. mouere.*
 C. 25, §. 89. *Quid tertium? Male pascere. Det. fam. uel praebet uestire pro pascere uel haec omnia omittit.*
 C. 25, §. 90. *uellem etiam. Det. fam. omittit uellem.*

Lib. III.

- C. 1, §. 3. *debebat. Det. fam. debeat.*
 C. 2, §. 5. *uberior. Det. fam. nerior.*
 C. 2, §. 6. *committas, ut. Det. fam. committas ut ne.*
 C. 4, §. 29. *aut honestum. Det. fam. et honestum.*
 C. 5, §. 26. *set multo. Det. fam. et multo.*
 C. 8, §. 35. *in eadem re utilitas et turpitude. Det. fam. in eadem re utili turpitude.*
 C. 10, §. 41. *muri causam. Det. fam. muri causa.*
 C. 11, §. 48. *cooperuerunt. Det. fam. cum Nonio obruerunt.*
 C. 12, §. 53. *Imma uero necesse est. Det. fam. haec omittit.*
 C. 15, §. 61. *illicitatorem. Det. fam. licitatore.*
 C. 19, §. 65. *mihî crede. Det. fam. crede mihî.*
 C. 21, §. 83. *qui id. Det. fam. uel quid uel qui.*
 Ibidem. *re unum. Det. fam. omittit re.*
 C. 22, §. 87. *melior fides. Det. fam. melior fides, quam senatus.*
 C. 22, §. 88. *eoque magis, quod. Det. fam. eoque magis, quo.*

C. 23, §. 91. *uinum*, Det. fam. *uenenum*.

C. 26, §. 99. *domi*. Det. fam. *domui*.

C. 28, §. 102. *habebat*. Det. fam. *habebit*.

C. 29, §. 105. *non modo summum*. Det. fam. *non modo non summum*.

C. 32, §. 113. *nouem reuertisse, re a senatu non impetrata: unum ex decem, qui paulo post, quam*. Det. fam. haec omittit.

Ibidem. astringit. Det. fam. *distingit*.

C. 33, §. 117. *sicuti dicit*. Det. fam. uel *sicut id dicit* uel *sicut hic dicit*.

C. 33, §. 118. *finiri*. Det. fam. *fieri*.

C. 33, §. 120. *uidetur*. Det. fam. *uideretur*.

At enim paucissimis locis ueram ex uno alterone codice praestantioris familiae dudum restitutam lectionem non confirmauit Bernensis tert., ut I, 33, 119 (*excellentis*); 33, 121 (*impium*); 38, 137 (*Magnam — partem*); 40, 144 (*conuui dicta*); II, 18, 64 (*nimirum is est*). Cf. III, 33, 119 (*is ex*). Uides autem, quam facile his locis aberrari a librario ad eas lectiones potuerit, quas etiam deterioris familiae habent codices; non item uides, quomodo II, 16, 56, ubi Augustanus et Graeuianus prim. praebent *auditu incredibile*, Bernensis tert. cum omnibus codicibus deterioris familiae potuerit omittere *auditu*, si in codice illo grammatici fuisset lectum, ut uerbum Tullianum. Quare nunc non dubito (uide *Corrigenda*), quin illud *auditu* debeatur grammatico illi, qui cum collocauisset *auditu* explicationis gratia supra uersum, unus ille minus diligens librarius plane neglexit, alter diligentior ipse quoque supra uersum collocauit, ut secuti hunc librarii partim reciperent, partim negligerent. Est autem *auditu incredibile*, interpretes adhuc iunxisse *primo auditu* ac non *auditu incredibile*. Atque eodem modo nunc (uide *Corrigenda*) iudico II, 3, 9 de lectione *In quo uerbo*. Apparet enim, deberi *uerbo* eidem illi grammatico. Omittunt autem *uerbo* Augustanus, Palatinus prim., Graeuianus prim..

Restat, ut eos indicem locos, quibus admodum temerariae lectiones apud Orellium ex Bernensi tert. enotatae sunt.

Lib. I.

- C. 2, §. 4. *tractata pro disputata.*
 C. 2, §. 6. *omittit ab is ante qui maxime.*
 C. 10, §. 31. *negare pro migrare.*
 C. 15, §. 44. *omittit uel morbo in omnis.*
 C. 31, §. 114. *si non optime, at non indecore (sic etiam Augustanus) pro si non decore, at quam minime indecore.*
 C. 35, §. 126. *facilius pro satis.*
 C. 41, §. 147. *omittit et non faciendu.*

Lib. II.

- C. 2, §. 7. *alia improbabilia pro aliu contra.*
 C. 11, §. 38. *igni probatum pro igni spectatum.*
 C. 12, §. 43. *ficta autem pro ficta omnia.*
 C. 17, §. 59. *omittit quodammodo.*
 C. 19, §. 67. *plurimus gratias pro plurimum gratiae.*
 C. 21, §. 74. *malo enim alienae, quam pro malo enim, quam.*
 C. 25, §. 88. *cum corpore pro cum corporis.*

Lib. III.

- C. 2, §. 6. *potior quam uoluptas pro potius quam uoluptus.*
 C. 3, §. 15. *poematibus pro poematis.*
 Ibidem. *in quaque pro in unaquaque.*
 C. 4, §. 16. *iusti nominantur (sic etiam ceteri huius familiae codices) pro iustus nominatur (ut etiam Lactantius).*
 Ibidem. *a sapientibus (sic etiam ceteri praestantioris familiae codices) pro a sapiente (ut etiam Lactantius).*
 C. 4, §. 19. *quaedam disputundi (sic enotatum est etiam ex Augustano) pro quaedam.*
 C. 4, §. 20. *ueteribus uestris Academicis et a Peripateticis pro ueteribus Academicis et a Peripateticis uestris.*
 C. 6, §. 28. *patri pro parenti.*
 Ibidem. *de homine pro homini.*
 C. 8, §. 37. *tamen nobis pro tamen.*
 C. 10, §. 45. *causa commendandorum suorum pro commendandorum suorum causa.*
 C. 14, §. 58. *postera die pro postridie.*
 C. 14, §. 59. *proximo sibi pro proximo.*
 C. 15, §. 62. *omittit itu ante fecisset.*

C. 19, §. 75. *Adderes pro At dares.*

C. 23, §. 90. *dimicando pro micando.*

Ibidem. *filios pro ciuis.*

C. 28, §. 101. *fundata natura pro fundamenta naturae.*

Adiuuantibus autem corruptelis Bernensis tert. potissimum aut maxime non raro me eruisse ueras lectiones, poteris intelligere collatis coniecturis, quas commemorauimus §. I. Hoc loco adiuuantes corruptelae ipsae erunt commemorandae: I, 20, 67 *et et si*; 23, 80 *tumultu*; 26, 92 *res maxime ab hīs* (sic etiam Anemoecius, nisi quod addidit *et ante maxime* et edidit *his pro hīs*); 29, 102 *enim et omnino*; II, 11, 40 *Atque etiam*; 12, 42 *quaerendae ratio est*; 13, 45 *sique*; 15, 52 *lauior, splendidiōr, uiro forti clarioque dignior*; 17, 58 *omittit uolgatū nostro ante Miloni*; 20, 69 *omittit uolgatū et ante optimi*; 24, 84 *totum hoc malum*; III, 4, 16 *Fabricius Aristidesue* (sic etiam ceteri huius familiae codices: quae corruptela orta est, cum *Fabricius ut Aristides* ab initio legeretur sic: *Fabriciusue Aristides*. Itaque alii librarii scripserunt *Fabricius Aristidesue*, alii *Fabricius aut Aristides*); 6, 28 *Is — statuit*; 9, 39 *si quid* (sic etiam Augustanus); 10, 46 *id, utile quod uidetur*; 13, 55 *laudari*; 15, 61 *contra relicteatur*; 18, 74 *hunc ait*; 24, 92 *determinare*; 30, 110 *quod*.

Quod attinet ad Bernensem quart., non dubito, quin descriptus sit ex duobus codicibus, uno deterioris familiae, altero melioris. Atque melioris quidem familiae codex idem uidetur fuisse, ex quo descriptus est Bernensis tert.. Cf. I, 29, 102 (cum Bernensi tert. *et omnino abiiciunt*); 29, 104 (cum Bernensi tert. *omittit est*); ibidem (egregiam habet lectionem *temperate cum Gothano*); 30, 109 (a secunda manu *et patre et filio*, ut Bernensis tert.); 37, 133 (cum Bernensi tert. *Nihil aliud fuit*); ibidem (cum Bernensi tert. *hy*); II, 5, 16 (addit corrector *in usu et*, ut in Bernensi tert.); ibidem (cum Bernensi tert. *modo ne nefarium*); III, 19, 78 (cum Bernensi tert. *omittit fieri*); 28, 102 (egregiam praebet lectionem *Fregistin'*, ut coniecerat I. F. Heusingerus). Idem sequitur ex aliis locis. — Similia possis contendere de Bernensi quint., qui non raro easdem praebet lectiones, quae deprehenduntur in uno fere Bernensi tert.. Cf. II, 14, 50 (tuetur cum Bernensi

tert. *ut i, quos — aut ulciscendi*); 19, 66 (cum Bernensi tert. *in toga dignitatis*); 21, 75 (cum Bernensi tert. *si quando*); III, 5, 26 (cum Bernensi tert. *cuipiam*); ibidem (cum Bernensi tert. *in hominibus*). Forsitan huius codicis librarius ipsum Bernensem tert. interdum inspexerit. Quocirca multo plus tribuendum est Bernensi quart.: etsi non multum.

§. V.

Indicantur loci, quibus erutae sunt lectiones ex corruptelis codicum plurimorum, confirmatae ab *uno alteroue codice* deterioris familiae.

Saepenumero accidit, ut, cum uera lectio seruata non esset in codicibus melioris familiae, lateret in uno aut altero deterioris. Atque his quidem locis diuersae plurimorum codicum corruptelae tales sunt, ut facillime potuerint oriri siue ex male intellecto compendio siue simili quadam ratione. Inter eos autem codices deterioris familiae, qui soli seruauerunt non raro ueram lectionem, excellunt Bernensis prim., Guelpherbytanus tert., Gothanus, Basileensis. Id quidem in Bernensi prim. mirabitur nemo, cum sit codex deterioris familiae facile antiquissimus, scriptus saeculo nono. Set etiam auctoritas Guelpherbytani tert. et Gothani, quanquam scripti sunt saeculo quinto decimo, est magna. Guelpherbytanus tert. propterea est plurimi aestimandus, quod ex quadam stirpe codicis,

qui originem duxit ex illo negligenter descripto exemplo codicis grammatici, exstat solus. Gothanus, etsi plerunque cum optimis codicibus deterioris familiae consentit, tamen nonnunquam, ubi in illis pravae deprehenduntur coniecturae, seruauit corruptelam primitiuam: ut, quid scripserit Cicero, ex Gothano facile perspiciatur. Interdum etiam ueras praebuit lectiones Basileensis.

Lib. I.

- C. 4, §. 11. *praegressus*. Uolgo *progressus*.
 C. 7, §. 22. *partem parentes*. Orellius [*partem parentes*].
 Ibidem. *alius alii*. Uolgo *alius alii*.
 C. 9, §. 28. *inferenda*. Orellius [*in*] *inferenda*.
 C. 9, §. 29. *nec facere*. Uolgo *ne facere*.
 C. 10, §. 32. *cui quidem*. Uolgo *cui*.
 C. 10, §. 36. *praescripta*. Uolgo *perscripta*.
 C. 12, §. 38. *cum cui aliter contendimus, aliter, si* (uide *Corrigenda*). Uolgo *cum cui aliter contendimus, si*.
 C. 14, §. 43. *aliis quod*. Uolgo *quod aliis*.
 Ibidem. *ab officio*. Uolgo *officio*.
 Ibidem. *igitur est*. Uolgo *est igitur*.
 C. 15, §. 49. *animi studio* (uide *Corrigenda*).
 Uolgo *animo, studio*.
 Ibidem. *plurimum opitulari*. Uolgo *potissimum opitulari*.
 C. 16, §. 51. *generis huius* (uide *Corrigenda*).
 Uolgo *generis eius*.
 C. 19, §. 64. *recte uolgo concupieris* (adde ad *Corrigenda*).
 C. 19, §. 65. *quoniam*. Uolgo *quod*.
 C. 20, §. 67. *esse magnique* (uide *Corrigenda*).
 Uolgo *magnique*.
 C. 20, §. 68. *uitanda*. Uolgo *uidenda*.
 C. 22, §. 74. *haec est*. Uolgo *est haec*.
 C. 22, §. 75. *se adiunisse Themistoclem*, Uolgo *ab se adiutum Themistoclem*.

C. 23, §. 81. recte uolgo *putaram* (adde ad *Corrigenda*).

C. 24, §. 82. *et quietis et cogitatis splendidiora*. Uolgo *quietis et cogitatis et splendidiora*.

C. 24, §. 84. *ne re quidem publica*. Uolgo *ne re publica quidem*.

C. 25, §. 86. *uocabit omnino, itaque*. Uolgo *uocabit, omninoque ita*.

C. 25, §. 87. *contendunt*. Uolgo *contenderent*.

C. 26, §. 91. *ne adulari*. Uolgo *nec adulari*.

C. 27, §. 93. *quod Graece πρόπον dicitur, decorum dici Latine potest*. Uolgo *quod dici Latine decorum potest: Graece enim πρόπον dicitur*.

C. 27, §. 94. *contra: ut enim*. Uolgo *contra, ut*.

C. 28, §. 98. *latissime*. Uolgo *late*.

C. 28, §. 99. *primam*. Uolgo *primum*.

C. 28, §. 100. *naturae*. Uolgo *natura*.

C. 29, §. 104. *temperate*. Uolgo *tempore*.

C. 30, §. 109. *aliū, his*. Uolgo *his aliū*.

C. 31, §. 111. *nequicquam*. Uolgo *nec quicquam*.

C. 31, §. 114. *in nobis non sint*. Uolgo *nobis data non sint*.

C. 32, §. 118. *Prodicus*. Uolgo *Prodicium*.

C. 35, §. 127. *neque eas*. Uolgo *eas neque*.

C. 35, §. 129. *molle, ne quid*. Uolgo *molle et ne quid*.

C. 37, §. 133. *Quid fuit*. Uolgo *Nihil fuit*.

C. 38, §. 137. *in ipsis*. Uolgo *in illis*.

C. 40, §. 144. *hoc quidem*. Uolgo *hoc idem*.

C. 41, §. 147. *eis*. Uolgo *is*,

C. 41, §. 148. *sunt praecepta*. Uolgo *praecepta sunt*.

Ibidem. arbitrentur. Uolgo *arbitretur*.

C. 45, §. 160. *quod cuique — quod cuique*. Uolgo *quid cuique — quid cuique*.

Lib. II.

C. 1, §. 1. *ut ad opes*. Uolgo *ad opes*.

C. 3, §. 11. *rationis expertia sunt alia, alia*. Uolgo *alia rationis expertia sunt, alia*.

C. 4, §. 14. *est rebus*. Uolgo *est*.

C. 6, §. 21. *cum*. Uolgo *contra*.

C. 8, §. 28. *triumphauerunt*. Uolgo *triumpharunt*.

C. 9, §. 33. *uiris bonis*. Uolgo *bonis uiris*.

C. 14, §. 50. *cur*. Uolgo *cui*.

- C. 16, §. 56. *admirentur.* Uolgo *admiremur.*
 C. 16, §. 57. *magnificentissime.* Uolgo *magnificentissima.*
 C. 17, §. 58. *anquiritur.* Uolgo *acquiritur.*
 C. 17, §. 59. *habentur.* Uolgo *haberentur.*
 C. 18, §. 62. *debebit esse.* Uolgo *esse debebit.*
 C. 18, §. 63. *bono uiro et grato est.* Uolgo *est bono uiro et grato.*
 C. 19, §. 65. *cum in uniuersam.* Uolgo *tum in uniuersum.*
 C. 20, §. 69. *quae sit natura rerum, diligentius.* Uolgo *est diligentius, quae natura rerum sit.*
 C. 20, §. 70. *putans.* Uolgo *putat.*
 C. 21, §. 73. *tuerentur.* Uolgo *tenerent.*
 C. 23, §. 80. *profecta emanauerunt.* Uolgo *profectae manarunt.*
 C. 23, §. 81. *urbem.* Uolgo *urbe.*
 C. 23, §. 82. *praefecitque.* Uolgo *perfecitque.*
 C. 24, §. 84. *recte uolgo cogitarat* (adde ad *Corrigenda*).

Lib. III.

- C. 1, §. 1. *Ita.* Uolgo *Itaque.*
 C. 1, §. 3. *Ita.* Orellius *Ita[que].*
 C. 3, §. 13. *nullo modo esse.* Uolgo *nullo modo.*
 C. 4, §. 17. *si quae.* Uolgo *si qua.*
 C. 5, §. 22. *posset putare.* Uolgo *posse putaret.*
 C. 5, §. 23. *respublicae continentur.* Uolgo *respublica continetur.*
 C. 5, §. 26. *nullum* (uide *Corrigenda*). Uolgo *illum.*
 C. 9, §. 38. *boni uiri, non occulta quaerunt* (uide *Corrigenda*). Uolgo *bonis uiris, non occulta quaeruntur.*
 C. 9, §. 39. *omniu facturos.* Uolgo *facturos, quod expediat.*
 C. 10, §. 43. *possit.* Uolgo *possis.*
 C. 11, §. 47. *contemnitur prae honestate.* Uolgo *prae honestate contemnitur.*
 C. 12, §. 52. *quid sit.* Uolgo *qui sit.*
 Ibidem. *num, quicquid.* Uolgo *non, quicquid.*
 C. 13, §. 54. *putaret.* Uolgo *putarit.*
 C. 14, §. 60. *coinquinatum.* Uolgo *inquinatum.*
 C. 17, §. 68. *plagas.* Uolgo *plagam.*

- C. 17, §. 70. *in is.* Uolgo *in his.*
 C. 17, §. 71. *se uideri.* Uolgo *uideri se.*
 C. 18, §. 73. *ciuitatis.* Uolgo *actatis.*
 C. 20, §. 81. *utile, quod uidetur.* Uolgo *illud, quod utile uidetur.*
 C. 21, §. 83. *concupierit* (adde ad *Corrigenda*). Uolgo *concupierit.*
 C. 21, §. 85. *debet esse.* Uolgo *esse debet.*
 C. 22, §. 87. *quomodo poterunt.* Uolgo *quoquo modo, non poterunt.*
 C. 23, §. 90. *sibi uter.* Uolgo *sibine uter.*
 C. 27, §. 100. *se non esse.* Uolgo *non esse se.*
 C. 28, §. 103. *non debuit esse.* Uolgo *esse non debuit.*
 Ibidem. *natura.* Uolgo *antea.*
 C. 29, §. 108. *recte uolgo iuraris* (adde ad *Corrigenda*).
 C. 30, §. 109. *qui.* Uolgo *quia.*
 C. 32, §. 113. *egressus esset.* Uolgo *erat egressus.*
 C. 32, §. 115. *etiam huius.* Uolgo *iam huius.*

Addam eos locos, quibus recentissimi editores rectissimo iudicio unum aut alterum codicem deterioris familiae sunt secuti: uelut I, 1, 3 (*elaboraret*); 21, 73 (*maiorque cura efficiendi*); 26, 92 (*parta*); ibidem (*uitae hominum*); 34, 125 (*anquirere*); 37, 134 (*ergo*); 38, 137 (*de se ipsam*); 42, 151 (*nihil homine libero*); II, 2, 6 (*anquirunt*); 7, 25 (*enim ipsa*); 10, 36 (*pertiuerunt*); 13, 43 (*ueram gloriam*); 13, 46 (*cum pietate*); 13, 47 (*gloriosa: et, qua*); 19, 66 (*Huic ergo*); 21, 74 (*tantum*); III, 4, 19 (*honestatem utilitas consecuta est*); 6, 32 (*set potius*); ibidem (*tanquam humanitatis corpore*); 8, 36 (*quas; sic editores omnes*); 14, 58 (*tempori: ex recentissimis editoribus unus Orellius*); 15, 64 (*istum*); 16, 67 (*scruebant: set*); 17, 70 (*SIEM*); 18, 73 (*et in is quidem; unus Orellius ex recentissimis editoribus*); 18, 74 (*turpem notum temporum illorum*); ibidem (*neque propulsat*); 20, 80 (*escenderent*); ibidem (*ab subselliis; sic unus Orellius*); 20, 82 (*in hominis*); 24, 93 (*nihil ceperit; nisi*); 28, 102 (*Fregistin'*). Restat, ut iam hoc loco significem, prorsus probandum esse Orellium, quod apud Ciceronem semper scripsit *magno opere, tanto opere, similia*. Quare cum uno aut altero codice ego quoque sic edendum curauit I, 1, 3; 26, 90; 40, 145.

§. VI.

Indicantur loci, qui rectius *distincti* sunt.

Nonnulli loci uel in omnibus uel in recentissimis editionibus ita sunt distincti, ut, uerba aliter iuncta esse a Cicerone, lectorem attentum fugere non possit. Sunt loci hi.

Lib. I.

C. 2, §. 4. *utilia, accurate*. Uolgo *utilia accurate*.

C. 4, §. 14. *deceat in factis dictisque, qui*. Uolgo *deceat, in factis dictisque qui*.

C. 7, §. 21. *fit, eorum*. Uolgo *fit eorum*: quod peruersum esse pertulit nuper etiam Wexius in *Epist. ad Gesenium* pag. 11, uir iudici elegantissimi.

C. 7, §. 22. *afferre, mutatione* (uide *Corrigenda*). Orellius *afferri mutatione*.

C. 16, §. 51. (*quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest*) (uide *Corrigenda*). Uolgo *quod ab Ennio positum in una re transferri in multas potest*.

C. 18, §. 61. *noster Cocles hinc, Decii hinc, Cn. et P. Scipiones hinc, M. Marcellus, innumerabiles alii* (adde ad *Corrigenda*). Uolgo *hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii*.

C. 24, §. 84. *dicere omnino. Qui*. Uolgo *dicere. Omnino qui*.

C. 31, §. 110. *non queas (ex quo magis emergit, quale sit decorum illud): ideo, quia nihil*. Uolgo *non queas. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo, quia nihil*.

C. 37, §. 135. *aderunt (neque enim omnes — delectamur), animaduertendum*. Uolgo *aderunt: neque enim omnes — delectamur. Animaduertendum*.

Lib. II.

C. 8, §. 30. *unu res, prorsus ut non* (uide *Corrigenda*). Uolgo *uaa res prorsus, ut non*.

Lib. III.

C. 9, §. 39. *negent, omnia, turpia.* Uolgo *negent, omnia turpia.*

C. 15, §. 63. *scripsit, Q. Tuberoni dicere.* Uolgo *scripsit Q. Tuberoni, dicere.*

Ibidem. liceat. Huic. Uolgo *liceat, huic.*

C. 18, §. 75. *solet falso.* Uolgo *solet. Falso.*

C. 32, §. 113. *redituros (ea, quorum erant potiti Poeni), nisi.* Uolgo *redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi.*

Ibidem. interpretabatur non recte. Uolgo *interpretabatur. Non recte.*

§. VII.

Indicantur loci, quibus additamenta grammatici et minora et maiora expulsa sunt *coniectura.*

Ciceronis libros *de Officiis* foede inquinatos esse additamentis grammatici etsi nonnemo quibusdam locis intellexerat, tamen adhuc nemo peruidit. Significaui iam §. III, sine dubio codicem principem, ex quo utraque codicum nostrorum familia fluxit, scriptum fuisse a grammatico saeculi septimi aut sexti, parum docto, parum acuto. Iste homo cum multa ex eo codice, quem ante oculos habebat, excidisse, multa Ciceronem non satis explicasse aut etiam oblitum esse suspicaretur, haec omnia de suo ingenio addidit. Additamenta ea, de quorum ordine utraque familia consentit, pleraque fortasse ipse grammaticus inter Ciceronis uerba posuit. Contra ea

additamenta, quae una familia ante uerba Ciceronis, altera post uerba collocat, non potest esse dubium, quin supra uersum aut in margine collocauerit grammaticus. Etenim unus ex duobus illis librariis, qui descripserunt codicem grammatici, recepit additamentum post uerba Ciceronis, alter ante uerba. Expuli autem coniectura additamenta haec.

Lib. I.

- C. 1, §. 4. deleui *forense* (uide *Corrigenda*).
 C. 2, §. 4. del. *maxime* (uide *Corrigenda*).
 C. 4, §. 11. del. *Commune — procreata sunt*.
 Ibidem. del. *que post rebus* (uide *Corrigenda*).
 C. 4, §. 12. del. *ingeneratque — procreati sunt* (ex coniectura Facciolati).
 C. 5, §. 14. del. *sapientiae* (ex coniectura Gernhardi).
 Ibidem. del. *que post tribuendo*.
 C. 7, §. 23. del. *si potest* (uide *Corrigenda*).
 C. 10, §. 32. del. *metu et dolo*.
 C. 10, §. 35. del. *imperatorum* (uide *Corrigenda*).
 C. 11, §. 36. del. *Popilio* (uide *Corrigenda*).
 C. 11, §. 37. del. *Adeo summa erat obseruatio in bello mouendo* (ex coniectura multorum).
 Ibidem. del. *cum in Macedonia bello Persico miles esset* (item ex coniectura multorum).
 C. 12, §. 37. del. *Equidem*.
 Ibidem. del. *iam*.
 C. 13, §. 41. del. *uir* (uide *Corrigenda*).
 C. 15, §. 48. del. *modo* (uide *Corrigenda*).
 C. 17, §. 57. dele *ea et quam similitudo morum coniunguit* (adde ad *Corrigenda*). Serua igitur estque *iuuendissima amicitia*.
 C. 18, §. 59. non debebam delere et *consuetudo exercitatioque capienda* (adde ad *Corrigenda*).
 Ibidem. dele *cuique* (adde ad *Corrigenda*).
 C. 18, §. 61. dele *magno et que, non elatoque* (adde ad *Corrigenda*).

Ibidem. del. *magno animo, non fortiter* (adde ad *Corrigenda*).

C. 20, §. 68. dele *pecuniam* (adde ad *Corrigenda*).

C. 22, §. 77. del. *concedat laurea laudi*.

C. 23, §. 79. del. *ex animo excelso magnificoque*.

Ibidem. del. *bellum*.

C. 24, §. 83. del. *etiam*.

C. 24, §. 84. del. *fuisse*.

C. 27, §. 94. del. *et mente esse captum*.

C. 28, §. 97. del. *decoro*.

Ibidem. del. *illud et quod deceat*.

Ibidem. del. *animantium reliquiarum*.

C. 28, §. 99. del. *Adhibenda — reuerentia aduersus homines* (uide *Corrigenda*).

C. 28, §. 100. del. *decori*.

C. 28, §. 101. del. *nec uero — reddere*.

C. 29, §. 102. del. *animi* (cum Facciolato et Beiero).

C. 30, §. 107. del. *rationis et que* (uide *Corrigenda*).

C. 30, §. 108. del. *tacere*.

Ibidem. del. *inprimisque — simulauit*.

C. 30, §. 109. del. *ne Xenocratem — philosophorum* (ex coniectura Heumanni).

C. 31, §. 113. del. *appellandae sunt*.

C. 32, §. 115. del. *supra*.

C. 34, §. 124. del. *munus*.

C. 34, §. 125. del. *autem*.

C. 37, §. 132. del. *rhethorum*.

C. 37, §. 133. del. *set et alii*.

C. 39, §. 139. del. *saepe*.

Ibidem. del. *et maxime — frequentari*.

Ibidem. del. *O domus antiqua, heu et dominare*.

C. 39, §. 141. del. *In omni — obtemperare rationi* (ex coniectura Facciolati).

C. 40, §. 143. del. *Itaque — loquimur et nunc dicenda sunt*.

C. 40, §. 144. del. *Tanta — temporis*.

C. 41, §. 146. del. *animaduersoreshque uitiorum*.

Ibidem. del. *ex reticentia*.

Ibidem. del. *in illis*.

C. 41, §. 147. del. *eligenda*.

Ibidem. del. *quid quisque sentiat atque etiam et paulo post quisque sentiat*.

C. 44, §. 157. del. *cogitandique*.

Ibidem. del. *itemque — immanitas* (ex coniectura Pearci et Facciolati).

C. 45, §. 160. del. *Etenim — prudenter* (ex coniectura Facciolati).

Lib. II.

C. 1, §. 3. del. *scilicet litterae et forenses et senatoriae*.

C. 1, §. 4. del. *Nihil — posset*.

C. 2, §. 6. del. *bene et que*.

C. 3, §. 11. del. *apes — uitam*.

C. 3, §. 13. del. *Eademque — manu*.

C. 4, §. 14. del. *quae — possemus*.

C. 4, §. 15. del. *uictu et cultu*.

C. 5, §. 17. del. *uirorum — excitantur*.

C. 5, §. 18. del. *Etenim — patitur* (ex coniectura Facciolati).

C. 6, §. 21. del. *a quibus*.

C. 7, §. 23. del. *talem* (ex coniectura Beieri).

C. 8, §. 30. del. *multum* (uide *Corrigenda*).

C. 9, §. 31. del. *qui inscribitur Laelius* (ex coniectura multorum).

C. 10, §. 35. del. *alios fortis* (ex coniectura Gernhardi).

C. 10, §. 36. del. *se et perspicere*.

Ibidem. del. *Non enim — existimant*.

Ibidem. del. *quidem neutiquam et de is male existimant. Quamobrem*.

C. 11, §. 39. del. *in primisque — sermones*.

C. 12, §. 41. del. *constituendarum*.

C. 12, §. 42. del. *una atque*.

Ibidem. del. *Adiuncto — arbitrarentur*.

Ibidem. del. *uerum*.

C. 14, §. 51. del. *iudicio*.

C. 16, §. 56. del. *nos*.

Ibidem. del. *pecuniarum*.

Ibidem. del. *praesertim*.

Ibidem. del. *eachue — uoluptatis*.

C. 17, §. 58. del. *atque utilior*.

Ibidem. del. *magno honori fuerunt*.

C. 18, §. 62. del. *nullo modo*.

- C. 18, §. 64. del. *illustribus*.
 C. 20, §. 70. del. *Uidendumque illud est*.
 C. 21, §. 72. del. *ut etiam*.
 C. 21, §. 73. del. *est*.
 Ibidem. del. *male*.
 C. 21, §. 74. del. *soleat et*.
 C. 24, §. 84. del. *ut hoc — esset*.
 C. 25, §. 88. del. *potius*.

Lib. III.

- C. 1, §. 1. del. *primus*.
 C. 1, §. 2. del. *otio*.
 C. 2, §. 6. del. *potius*.
 C. 2, §. 9. del. *Praeterea — dictorum* (ex coniectura Beieri).
 C. 3, §. 11. del. *dubitari potest*.
 C. 5, §. 22. del. *Nam*.
 C. 5, §. 23. del. *et humana*.
 C. 5, §. 26. del. *uitium*.
 C. 6, §. 29. del. *igitur*.
 C. 7, §. 33. del. *ex*.
 Ibidem. del. *quid sit, quod — turpe non sit*.
 C. 7, §. 34. del. *de hac parte*.
 C. 11, §. 47. del. *Tanta — obscuret*.
 C. 11, §. 48. del. *set ea — honestate*.
 C. 12, §. 50. del. *an turpe non sit*.
 C. 12, §. 52. del. *Exoritur — parte* (ex coniectura Bauu Uoordae).
 Ibidem. del. *utilitas* (ex coniectura Beieri).
 Ibidem. del. *Respondebit — sic* (ex coniectura Bauu Uoordae).
 C. 12, §. 53. del. *inquiet ille post Memini* (ex coniectura Bauu Uoordae cum Beiero).
 C. 13, §. 55. del. *Sin autem — putas*.
 C. 13, §. 57. del. *uitiorum*.
 C. 14, §. 60. del. *cum sit*.
 C. 15, §. 64. del. *dolus malus iste*.
 Ibidem. del. *uirum bonum*.
 C. 19, §. 76. del. *Hoc — poterit*.
 C. 19, §. 77. del. *quod non audeat praedicare*.
 C. 20, §. 79. del. *et ciuem*.
 C. 20, §. 82. del. *boni uiri*.

- C. 22, §. 86. del. *magnum dedecus et.*
 Ibidem. del. *fuisset.*
 C. 23, §. 89. del. *de officiis.*
 Ibidem. del. *potius.*
 Ibidem. del. *familiaris.*
 C. 24, §. 92. del. *illo medicamento.*
 C. 24, §. 93. del. *eum.*
 Ibidem. del. *necne.*
 C. 25, §. 95. del. *videntur esse.*
 C. 26, §. 97. del. *arbitror.*
 C. 26, §. 99. del. *patre Hannibalís.*
 Ibidem. del. *talis.*
 C. 28, §. 103. del. *se dicere.*
 C. 29, §. 104. del. *qui — nocere.*
 C. 29, §. 105. del. *in deformitate.*
 Ibidem. del. *illa — turpificati.*
 C. 29, §. 107. del. *Est — seruanda.*
 Ibidem. del. *Nam pirata — esse commune.*
 C. 30, §. 109. del. *populi senatusque.*
 C. 31, §. 111. del. *illud.*
 C. 31, §. 112. del. *terrore.*
 C. 33, §. 116. del. *nominati.*
 C. 33, §. 118. del. *quoquo modo possunt post set*
tamen (ex coniectura Orelli).
 Ibidem. del. *utilitatemue (cum Beiero).*
 C. 33, §. 119. del. *et malorum (cum Schuetzio et*
Beiero ex coniectura multorum).

§. VIII.

Indicantur loci, quibus additamenta grammatici et
 minora et maiora expulsa sunt cum *codicibus.*

Additamenta quaedam grammatici maiora,
 quae in codicibus plerisque utriusque familiae
 et deterioris et melioris ommissa sunt, nemo
 dubitabit, quin fuerint ab ipso grammatico
 scripta in margine. Atque eodem modo utrun-

que librarium, qui grammatici codicem descripsit, ista additamenta censeo transscripsisse. Secuti quidem librarii utriusque familiae plerique neglexerunt in margine posita, pauci inter ipsa Ciceronis uerba receperunt. Magnum illud autem grammatici additamentum, quod I, 13, 40 in codicibus utriusque familiae legitur paucissimis, margini ab initio fuisse ascriptum, sequi uidetur etiam ex eo, quod in Bernensi tert. particula tantum additamenti recepta est eaque particula, quam propterea, ut opinor, putauit librarius recipiendam esse, quod diceretur ibi de *fide*, de qua modo esset dictum. Permulta porro grammatici additamenta et minora et maiora plerique codices tuentur atque in uno aut altero unius familiae codice sunt omissa. Minora autem additamenta uerisimile est a grammatico posita fuisse supra uersus, maiora in margine. Unus quidem ex duobus illis librariis censendus est inter ipsa Ciceronis uerba talia additamenta recepisse, ut codices, qui ex huius librari codice originem duxerint, seruauerint omnes. Set cum alter ita ea transcripserit, ut collocata in codice grammatici erant, saepenumero factum est, ut plerique hunc secuti librarii additamenta reciperent, negligeret unus aut alter. Excellunt quidem in omittendis additamentis praeter Ber-

nensem tert. Guelpherbytani tert. et quart. in primisque Gothanus. Nec uero cuiquam uidebitur mirum, eiusdem familiae optimos codices plerunque praua additamenta tueri, unum aut alterum ex deterioribus omittere. Etenim librarii, quibus debemus optimos codices, ut in ceteris rebus erant diligentissimi, sic in recipiendis additamentis siue supra uersum siue in margine collocatis. Restat, ut significem, in omittendo uerbo substantiuo peccare, ut assolet, codices plerosque, excellere Bernensem tert. et Bernensem sec..

Expuli autem cum codicibus plerisque utriusque familiae haec additamenta siue grammatici siue librarium, quibus pleraque debeantur excepto primo additamento.

Lib. I.

C. 13, §. 40. deleui *Secundo autem — cum scelere approbavit.*

Lib. II.

C. 17, §. 58. del. *annonae.*

C. 18, §. 62. del. *ut.*

C. 24, §. 86. del. *et.*

Lib. III.

C. 3, §. 14. del. *omnia.*

C. 6, §. 28. del. *noni.*

C. 11, §. 47. del. *alias.*

C. 13, §. 54. del. *sint.*

C. 15, §. 63. del. *qui.*

C. 17, §. 71. del. *is.*

C. 21, §. 82. del. *et quam inutile.*

Cum codicibus plerisque aut multis deterioris familiae expuli grammatici additamenta haec.

Lib. I.

C. 22, §. 76. del. *dilatatum*.

Lib. II.

C. 1, §. 1. del. *tum ex utilibus — utile*.

Lib. III.

C. 2, §. 10. del. *et non perfecisset*.C. 24, §. 92. del. *si — esset*.

Cum uno aut altero codice siue praestantioris familiae siue deterioris expuli additamenta haec. Plurima autem ex his debentur grammatico illi.

Lib. I.

C. 2, §. 7. del. *a*.C. 3, §. 7. del. *sunt*.C. 3, §. 9. del. *est*.C. 4, §. 11. del. *que post declinet*.C. 5, §. 17. del. *est*.Ibidem. del. *rebus*.C. 7, §. 20. del. *sunt*.C. 7, §. 21. del. *plus*.C. 8, §. 25. del. *set fugienda semper iniuria est*.C. 10, §. 33. del. *est*.C. 11, §. 34. del. *est*.C. 11, §. 35. del. *devictas bello*.C. 11, §. 36. del. *quoque* (vide *Corrigenda*).C. 12, §. 37. del. *tabulae*.Ibidem. del. *nomen*.C. 13, §. 41. del. *cum ante maxime* (vide *Corrigenda*).Ibidem. del. *esse*.Ibidem. del. *est*.C. 14, §. 43. del. *et*.C. 14, §. 44. del. *est* (vide *Corrigenda*).C. 15, §. 49. del. *iudicio*.C. 16, §. 50. del. *discendo*.C. 16, §. 52. del. *is* (vide *Corrigenda*).C. 18, §. 59. del. *uel* (adde ad *Corrigenda*).C. 18, §. 60. del. *est*.C. 18, §. 61. del. *est*.

- C. 19, §. 64. del. *est*.
 C. 20, §. 67. del. *est*.
 C. 23, §. 80. del. *est*.
 C. 24, §. 83. del. *est*.
 C. 24, §. 84. del. *que post multa*.
 C. 25, §. 86. del. *ciuitia*.
 C. 29, §. 104. del. *est*.
 C. 30, §. 105. del. *semper*.
 C. 30, §. 109. del. *bis in*.
 C. 35, §. 126. del. *illud* (adde ad *Corrigenda*).
 C. 35, §. 128. del. *sunt*.
 C. 36, §. 130. del. *est*.
 C. 37, §. 132. del. *sunt*.
 C. 37, §. 133. del. *re* (uide *Corrigenda*).
 C. 37, §. 134. del. *in rebus, tum*.
 C. 37, §. 135. del. *de*.
 Ibidem. del. *est*.
 C. 38, §. 136. del. *etiam*.
 C. 38, §. 137. del. *autem*.
 C. 39, §. 140. del. *praesertim*.
 C. 40, §. 144. del. *est*.
 C. 42, §. 150. del. *enim*.

Lib. II.

- C. 1, §. 1. del. *de*.
 C. 1, §. 4. del. *his*.
 C. 2, §. 5. del. *homini*.
 Ibidem. del. *philosophis*.
 C. 4, §. 15. del. *rebus*.
 C. 8, §. 29. del. *ciuiliu*.
 C. 10, §. 37. del. *est*.
 C. 11, §. 40. del. *etiam* (omittit etiam Nonius).
 C. 14, §. 49. del. *est*.
 Ibidem. del. *etiam*.
 C. 15, §. 52. del. *posterior*.
 Ibidem. del. *ac et et*.
 C. 15, §. 53. del. *in*.
 C. 17, §. 58. del. *est*.
 Ibidem. del. *quando erat aedilis*.
 C. 17, §. 60. del. *in*.
 Ibidem. del. *est*.
 C. 18, §. 61. del. *altero*.
 C. 18, §. 63. del. *est*.

- C. 19, §. 66. del. *dicendi*.
 C. 19, §. 67. del. *quoque*.
 C. 20, §. 70. del. *uero*.
 C. 21, §. 72. del. *est*.
 C. 21, §. 73. del. *et* (omittit etiam Nonius).
 Ibidem. del. *et*.
 C. 22, §. 76. del. *est*.
 C. 22, §. 77. del. *est*.
 Ibidem. del. *esse*.
 C. 23, §. 82. del. *est*.
 C. 23, §. 83. del. *nostra*.
 C. 24, §. 84. del. *est*.
 C. 24, §. 86. del. *esse*.
 C. 25, §. 88. del. *comparantur*.
 C. 25, §. 90. del. *ulla*.

Lib. III.

- C. 2, §. 6. del. *haec*.
 C. 2, §. 10. del. *esse*.
 C. 3, §. 15. del. *in is* (omittit etiam Nonius).
 C. 4, §. 16. del. *et*.
 C. 4, §. 17. del. *est*.
 C. 4, §. 19. del. *est*.
 C. 5, §. 22. del. *copias, opes*.
 C. 5, §. 24. del. *Detrahere autem — generis eiusdem*.
 C. 5, §. 25. del. *et*.
 C. 6, §. 28. del. *Haec enim — uirtutum*.
 C. 6, §. 30. del. *si quid*.
 C. 6, §. 32. del. *et*.
 C. 7, §. 34. del. *est*.
 Ibidem. del. *uenerint*.
 C. 9, §. 39. del. *celare*.
 C. 10, §. 44. del. *ipse*.
 Ibidem. del. *paulo ante*.
 C. 12, §. 53. del. *inquiet ille post Immo uero*.
 C. 13, §. 55. del. *si hoc non est* (deleui autem absurdissimum glossema cum Bernensi tert. et Suffrido Petro contra Nonium in u. *ruere*. Sumendum igitur est, ipsum illum grammaticum saeculi septimi aut sexti, ex cuius codice nostri fluxerunt codices omnes, anti-

quissimum illud glossema in eo exemplo, quod ante oculos habebat, supra uersum aut in margine collocatum reperisse).

Ibidem. del. *est*.

C. 13, §. 56. del. *est*.

C. 13, §. 57. del. *celandi*.

C. 14, §. 59. del. *quid est hoc*.

C. 14, §. 60. del. *eorum*.

C. 15, §. 61. del. *in*.

C. 15, §. 62. del. *fuisse*.

Ibidem. del. *est*.

C. 15, §. 63. del. *paulo*.

C. 17, §. 70. del. *ET*.

C. 17, §. 71. del. *esse*.

Ibidem. del. *sunt*.

C. 19, §. 77. del. *uir*.

Ibidem. del. *iam*.

C. 20, §. 79. del. *et*.

C. 20, §. 82. del. *quantum auferre*.

C. 23, §. 91. del. *furacem*.

C. 24, §. 92. del. *eo*.

C. 24, §. 93. del. *sit et paulo post que*.

C. 25, §. 94. del. *illa*.

Ibidem. del. *se*.

Ibidem. del. *optato*.

C. 25, §. 95. del. *ne post reddas*.

C. 28, §. 103. del. *hostium*.

C. 29, §. 108. del. *et hostilis*.

C. 30, §. 110. del. *de captiuis*.

C. 31, §. 112. del. *se*.


Ibidem. del. *statim*.

C. 32, §. 113. del. *e castris*.

Lectorem eruditum dimitto; retineo beneuolum, quoniam non possum, quin commemorem hoc loco honorificentissime *Theodorum Adlerum*, amicum meum. Praeterquam enim, quod mendis typhothetae hunc librum prorsus fere liberauit (si quae autem manent, mea culpa est factum), maiora illi debet. Saepenumero enim, posteaquam cum amico communicauī, quid ego staturerem siue de loco corrupto siue de re grammatica, acute opponendo effecit, ut uiderem postea ueriora. Id nunquam obliuiscar.

Ac tamen reuocandus est eruditus lector. Sero enim uidi, I, 19, 64 locum *Ex quo fit, ut neque disceptatione uinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur* transponendum esse post *solus esse*; paulo post 19, 65 scripsisse Ciceronem sic *ut quis in altissimo animo est gloriae cupidus: qui locus est sane lubricus. Quid? quod uix inuenitur* et quae secuntur; 20, 66 transpositis uerbis *Harum rerum duarum*, quae leguntur uolgo post *pertinent*, sic *plenasque laborum et periculorum*. 67. *Harum rerum duarum cum uitae, tum multarum rerum, quae ad uitam pertinent, splendor omnis* et quae secuntur; 20, 67 sic *fortis animi esse magnique dicendum est: et ea, quae uidentur acerba (quae — uersantur), ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate sapientis, hoc est, robusto animo magnaue constantia*; 20, 68 sic *Nihil enim tam*

est angusti et denique paulo post sic *Nec uero semper ea expetenda.* — Sero autem audiui, Klotzium, uirum amicissimum, pro miro *adorauit*, ut ego inductus corrupto loco scholiastae Ambrosiani edidi in oratione *pro Archia* 11, 28, conicere *adornaui*: quae coniectura egregia est. Eodemque modo uideo Ciceronem adornare uoluisse Luceium, poetam, *conficiendis commentariis rerum omnium*: ut scribit *ad Fam.* V, 12, 10. — Id denique addendum uidetur, commentarium non nimis sero, ut arbitror, subsecuturum esse.



M. TULLI CICERONIS

D E O F F I C I I S

LIBRI TRES.

M. TULLI CICERONIS
DE OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBER PRIMUS.

I. 1. **Q**uanquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in philosophia solum, set etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos, ut uidemur, magnum attulimus adiumentum hominibus nostris: ut non modo Graecarum litterarum rudes, set etiam docti arbitrentur, se aliquantum adeptos et ad dicendum et ad iudicandum. 2. Quamobrem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum et disces, quamdiu uoles (tamdiu autem uelle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit); set tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique Socratici et Platonici uolumus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio (nihil enim impedio), orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris plenior. Nec uero hoc arroganter dictum existimari uelim. Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium,

I. 1. arbitrentur, se aliquantum] *aliquantum se arbitrentur.* Socratici] [*et*] *Socratici.* 2. hoc arroganter] *arroganter hoc.*

apte, distincte, ornatè dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi. si id mihi assumo, uideor id meo iure quodammodo iudicare. 3. Quamobrem magno opere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, set hos etiam de philosophia libros, qui cum illis fere aequantur, stùdiòse legas. Uis enim maior in illis dicendi; set hoc quoque colendum est aequabile et temperatum genus orationis. Et id quidem nemini uideo Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalerens in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum uehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium: utrunque certe secuti sumus. 4. Equidem et Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare uoluisset, grauissime et copiosissime potuisse dicere, et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare uoluisset, ornatè splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico: quorum uterque delectatus suo studio contempsit alterum.

II. Set cum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac, ab eo ordiri uolui maxime, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae. Nam cum multa sint in philosophia et grauià et utilia, accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere uidentur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim uitae pars neque publicis neque priuatis neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, uacare officio potest: in eoque et colendo sita uitae est honestas omnis et negligendo turpitudò. 5. Atque haec quidem quaestio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Set sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne peruertant. Nam

I. 3. cum] iam. aequantur] aequarunt. genus orationis] orationis genus. 4. delectatus suo studio] suo studio delectatus. II. negligendo] in negligendo.

qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate, metitur, hic si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate uincatur, neque amicitiam colere possit nec iustitiam nec liberalitatem; fortis uero, dolorem summum malum iudicans, aut temperans, uoluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. 6. Quae quanquam ita sint in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. — Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae uelint esse, de officio nihil queant dicere: neque ulla officii praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt, nisi aut ab is, qui solam, aut ab is, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Herilliam pridem explosa sententia est: qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent; ut ad officii inuentionem aditus esset. Sequemur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, set, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo uidebitur, hauriemus.

7. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio praetermissum esse miror. Omnis enim quae ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

III. Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum; alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in partis omnis usus uitae conformari possit. Superioris generis huiusmodi exempla: omniane officia perfecta sint? num quod officium aliud alio maius sit? et quae sunt generis eiusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quanquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem uitae communis spectare uidentur: de quibus est nobis

II. 6. ita sint] *ita sunt*. Sequemur] *Sequimur*. 7. ratione] [*a*] *ratione*. III. partis omnis] *omnes partes*. exempla] *exempla* [*sunt*]. num quod] *numquid*.

explicandum his libris. 8. Atque etiam alia diuisio est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, uocemus, quoniam Graeci *κατὸρθαμα*; hoc autem commune *καθῆκον* uocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. 9. Triplex igitur est, ut Panaetio uidetur, consili capienti deliberatio. Nam aut, honestumne factu sit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur; tum autem aut anquirunt aut consultant, ad uitae commoditatem iucunditatemque, ad facultates rerum, ut ad copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuuare et suos, conducat id, necne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit; tertium dubitandi genus, cum pugnare uidetur cum honesto id, quod uidetur esse utile. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra reuocare ad se uidetur, fit, ut distrahatur in deliberando animus afferatque ancipitem curam cogitandi. 10. Hac diuisione, cum praeterire aliquid maximum uitium in diuidendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum, utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, set etiam duobus propositis honestis utrum honestius; itemque duobus propositis utilibus utrum utilius. Ita quam ille triplicem putauit esse rationem, in quinque partis distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, set dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

IV. 11. Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, uitam corpusque tneatur, declinet ea, quae nocitura uideantur, omniaque, quae sunt ad uiuendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Set in-

III. 7. explicandum his libris] *his libris explicandum*.
 8. quoniam] *quod*. commune] *commune* [officium]. 9. Nam aut] *Nam*. ut ad copias] *atque copias*. genus] *genus est*.
 IV. 11. declinet] *declinetque*. eiusdem] *eiusdem*. *Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt*.

ter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum uidet earumque praegressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adiungit atque annectit futuras) facile totius uitae cursum uidet ad eamque degerendam praeparat res necessarias. 12. Eademque natura ui, rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad uitae societatem, impellitque, ut coetus hominum et celebrationes et esse et a se obiri uelit ob easque causas studeat parare ea, quae suppedient et ad cultum et ad uictum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. 13. In primisque hominis est propria ueri inquisitio atque inuestigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque uacui, tum auemus aliquid uidere, audire, addiscere; cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate uiuendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod uerum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic ueri uidendi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura uelit, nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. 14. Nec uero illa parua uis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit, quod deceat in factis dictisque, qui modus sit: atque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, uenustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in con-

IV. 11. praegressus] *progressus*. 12. societatem] *societatem*; *ingeneratque in primis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt*. coetus hominum] *hominum coetus*. 14. modus sit: atque] *modus*. *Itaque*.

siliis factisque conseruandam putat cauetque, ne quid indecore effeminateue faciat; tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinoſe aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum; quod etiamsi nobilitatum non ſit, tamen honestum eſt, quodque uere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, natura eſſe laudabile.

V. Formam quidem ipſam, Marce fili, et tanquam faciem honeſti uides: quae ſi oculis cerneretur, *mira-bilis amores*, ut ait Plato, excitaret. Sed omne, quod eſt honeſtum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perſpicientia ueri ſollertiaque uerſatur, aut in hominum ſocietate tuenda tribuendo ſuum cuique et rerum contractarum fide, aut in animi excelsi atque inuicti magnitudine ac robore, aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo ineſt modestia et temperantia. 15. Quae quatuor quamquam inter ſe colligata atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: uelut ex ea parte, quae prima deſcripta eſt, in qua ſapientiam et prudentiam ponimus, id eſt, indagatio atque inuentio ueri: eiusque uirtutis hoc munus eſt proprium. 16. Ut enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quaque ueriſſimum ſit, quique acutiſſime et celerrime poteſt et uidere et explicare rationem, iſ prudentiſſimus et ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Quocirca huic quaſi materia, quam tractet et in qua uerſetur, ſubiecta eſt ueritas. 17. Relicuis autem tribus neceſſitates propoſitae ſunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio uitae continetur: ut et ſocietas hominum coniunctioque ſeruetur et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et ſibi et ſuis comparandis, tum multo magis in hiſ ipsis deſpiciendis eluceat. Ordo autem et conſtantia et moderatio et ea, quae ſunt hiſ ſimilia, uerſantur in eo genere, ad quod adhibenda actio quaedam, non ſolum mentis agitatio. Hiſ enim, quae tractantur in uita, modum quendam et ordinem adhibentes honeſtatem et decus conſeruabimus.

IV. 14. conſeruandam] *conſeruandum*. V. excitaret] *excitaret ſapientiae*. tribuendo] *tribuendoque*. 15. id eſt] *ineſt*. 17. tribus] *tribus uirtutibus*. actio] *eſt actio*. Hiſ] *hiſ*. enim] *enim rebus*.

VI. 18. Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam nimque diuisimus, primus ille, qui in ueri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupidatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo uitia uitanda sunt, unum, ne incognita pro cognitis habeamus isque temere assentiamur: quod uitium effugere qui uolet (omnes autem uelle debebunt), adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. 19. Alterum est uitium; quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficilis conferunt easdemque non necessarias. Quibus uitis declinatis; quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium audimus, in geometria Sex. Pompeium ipsi cognouimus, multos in dialecticis, pluris in iure ciuili: quae omnes artes in inuestigatione ueri uersantur, cuius studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. Uirtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen fit intermissio saepe multique dantur ad studia redivit; tum agitatio mentis, quae nunquam quiescit, potest nos in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque uiuendum aut in studiis scientiae cognitionisque uersabitur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

VII. 20. De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos et uitae quasi communitas continetur. Cuius partes duae: iustitia, in qua uirtutis est splendor maximus, ex qua uiri boni nominantur; et huic coniuncta beneficentia, quam eandem uel benignitatem uel liberalitatem appellari licet. Set iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria; deinde, ut communibus pro communibus utatur, priuatis ut suis. 21. Sunt autem priuata nulla natura, set aut uetere occupatione,

VI. 18. debebunt] *debent*. 19. inuestigatione ueri] *veri inuestigatione*. quiescit] *acquiescit*. cogitationis] *cognitionis*. VII. 20. duae] *duae sunt*.

ut qui quondam in uacua uenerunt, aut uictoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, condicione, sorte: ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatium dicatur, Tuaculanus Tusculanorum: similisque est priuatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat: e quo si qui sibi appetet, uiolabit ius humanae societatis. 22. Set quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria uindicat, partem parentes, partem amici, atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter sese alius alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communis utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem. 23. Fundamentum autem est iustitiae fides, id est, dictorum conuentorumque constantia et ueritas. Ex quo, quanquam hoc uidebitur cuiquam fortasse durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde uerba sint ducta, credamusque, quia *fiat*, quod dictum est, appellatam *fidem*. Set iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab is, quibus inferitur, si possint, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre uidetur socio; qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in uitio, quam si parentis aut amicos aut patriam deserat. 24. Atque illae quidem iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse afficiatur aliquo incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea, quae concupiuerunt: in quo uitio latissime patet auaritia.

VII. 21. e quo] *eo*. sibi] *sibi plus*. 22. partem parentes] [*partem parentes*]. sese] *se*. alius alii] *aliis alii*. 23. est iustitiae] *iustitiae est*. cuiquam fortasse] *fortasse cuiquam*. si possint] *si possunt*. 24. afficiatur aliquo] *aliquo afficiatur*.

VIII. 25. Expetuntur autem diuitiae cum ad usus uitae necessarios, tum ad perfruendas uoluptates. In quibus autem maior est animus, in is pecuniae cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps uellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus uitaeque cultus cum elegantia et copia: quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniae cupiditas esset. Nec uero rei familiaris amplificatio nemini nocens uituperanda est. 26. Maxime autem adducuntur plerique, ut eos iustitiae capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium:

Nulla sancta societas

Nec fides regni est:

id latius patet. Nam quicquid eiusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerunque tanta contentio, ut difficillimum sit, seruare sanctam societatem. Declarauit id modo temeritas C. Caesaris, qui omnia iura diuina et humana peruertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerunque exsistunt honoris, imperi, potentiae, gloriae cupiditates. Quo magis cauendum est, ne quid in eo genere peccetur. 27. Set in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerunque breuis est et ad tempus, an consulto et cogitato fiat iniuria. Leuiores enim sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

IX. 28. Praetermittendae autem defensionis descendique officii plures causae esse solent. Aut enim inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt; aut etiam negligentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibus sic impediuntur, ut eos,

VIII. 25. effectum] *effectum est.* uituperanda est] *uituperanda est, sed fugienda semper iniuria est.* 26. inciderunt] *inciderunt.* et humana] *atque humana.* 27. cogitato] *cogitate.* IX. 28. causae esse solent] *solent esse causae.* Aut enim] *Nam aut.*

quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Itaque uidentur est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum: *quod in ueri inuestigatione uersentur quodque ea, quae plerique uehementer expetant, de quibus inter se digladiari soleant, contemnunt et pro nihilo putent, propterea iustos esse.* Nam alterum iustitiae genus assecuntur, inferenda ne cui noceant iniuria; in altero delincunt: discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt. Itaque eos ne ad rem quidem publicam accessuros putat, nisi coactos. Aequius autem erat, id uoluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est uoluntarium. 29. Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendae aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant, nec facere cuiquam uideantur iniuriam. Qui altero genere iniustitiae uacant; in alterum incurrunt: deserunt enim uitae societatem, quia nihil conferunt in eam studi, nihil operae, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus iniustitiae propositis adiunximus causas utriusque generis easque res ante constituimus, quibus iustitia contineretur: facile, quod cuiusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos ualde amabimus, iudicare. 30. Est enim difficilis cura rerum alienarum. Quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil a se alienum putat; set tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera aut aduersa eueniant, quam illa, quae ceteris, quae quasi quodam longo interuallo interiecto uidemus: aliter de illis ac de nobis iudicamus. Quocirca bene praecipunt, qui uetant, quicquam agere, quod dubites aecum sit, an inicum. Aequitas enim lucet ipsa per sese; dubitatio cogitationem significat iniuriae.

X. 31. Set incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime uidentur digna esse iusto homine eoque, quem uirum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria: ut reddere depositum, facere promissum, quaeque per-

IX. 28. expetant] *expetunt.* soleant] *solent.* alterum iustitiae] *alterum.* inferenda] *[in] inferenda.* in altero delincunt] *in alterum incidunt.* debent] *debeant.* ne ad rem quidem publicam] *ne ad rem publicam, quidem.* 29. nec] *ne.* 30. quasi quodam] *quasi.* sese] *se.*

tinent ad ueritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non seruare, fit iustum. Referrī enim decet ad ea, quae posui fundamenta iustitiae: primum, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati seruiatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem. 32. Potest enim accidere promissum aliquod et conuentum, ut id effici sit inutile uel ei, cui promissum sit, uel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus Hippolyto filio non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit: quo impetrato in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur seruanda sunt ea, quae sint is, quibus promiseris, inutilia, nec, si plus tibi ea noceant, quam illi prosint, cui quidem promiseris, contra officium est, maius anteponi minori. Ut, si constitueris cuipiam te aduocatum in rem praesentem esse uenturum, atque interim grauius aegrotare filius coeperit, non sit contra officium, non facere, quod dixeris, magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam illis promissis standum non esse quis non uidet, quae coactus quis, quae deceptus promiserit? 33. quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, nonnulla legibus. Exsistunt etiam iniuriae calumnia quadam et nimis callida, saepe malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud: *Summum ius summa iniuria* factum est iam tritum sermone prouerbiū. Quo in genere etiam in republica multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste induciae factae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium induciae. Ne noster quidem probandus, si uerum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim habeo praeter auditum), arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, cum ad locum uenisset, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, ne appetenter, atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utriusque fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum finis

X. 31. posui] *posui principio.* 32. ea noceant] *noceant.*
 cui quidem] *cui.* quis] *quis metu.* deceptus] *deceptus dolo.*
 33. etiam] *etiam saepe.* saepe] *sed.* ne cupide] *ut ne cupide.*

sic, ut ipsi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicavit. Decipere hoc quidem est, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda talis sollertia.

XI. Sunt autem quaedam officia etiam aduersus eos seruanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi et poeniendi modus, atque haut scio an satis sit, eum, qui lacessierit iniuria, poenire ita, ut et ipse ne quid tale posthac et ceteri sint ad iniuriam tardiores. 34. Atque in republica maxime conseruanda sunt iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per uim, cunq̄ue illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum ad posterius, si uti non licet superiore. 35. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace uiuatur; parta autem uictoria conseruandi i, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Uolscos, Sabinos, Hernicos in ciuitatem etiam acceperunt; at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt; nollem Corinthum; set credo, aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset obtemperatum, si non optimam, at aliquam rempublicam, quae nunc nulla est, haberemus. Et cum is, quos ui deuiceris, consulendum est, tum i, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamuis murum aries percusserit, recipiendi. In quo tanto opere apud nostros iustitia culta est, ut i, qui ciuitates aut nationes in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum. 36. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure praescripta est: ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum.

X. 33. fugienda] *fugienda est.* XI. iniuria] *iniuriae suae.* poenire] *poenitere.* ita, ut] *ut.* confugiendum] *confugiendum est.* 35. nationes] *nationes devictas bello.* 36. praescripta] *perscripta.* 36. indictum] *indictum.* *Popilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Quum autem Popilio videretur unam dimit-*

XII. 37. Etiam animaduerte illud, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocatur, lenitate uerbi rei tristitiam mitigatam. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Inducunt duodecim: ut STATUS DIES CUM HOSTE; itemque: ADUERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quanquam id durius efficit uetustas; a peregrino enim iam recessit et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit.

38. Cum uero de imperio decertatur belloque quaeritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante iustas causas bellorum esse. Sed ea bella, quibus imperi proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum cui lite contendimus aliter, si est inimicus, aliter, si competitor (cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae): sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter esset, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, relicui iustiores. Pyrrhi quidem de captiuis reddendis illa praeclara:

tere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed, quum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento, quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat.

37. Adeo summa erat observatio in bello movendo. M. quidem Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scribit, se audisse eum missum factum esse a consule, quum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur, ut caveat, ne proelium ineat: negat enim ius esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare. XII. 37. Etiam] Equidem etiam. animaduerte illud] illud animaduerto. uocatur] vocaretur. duodecim] duodecim tabulae. id] id nomen. efficit] effecit. uetustas] iam uetustas. iam recessit] recessit. 38. bellorum esse] esse bellorum. cui lite] cиви. contendimus aliter] aliter contendimus.

*Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis;
 Nec cauponantes bellum, set belligerantes,
 Ferro, non auro, vitam ceruimus utrique.
 Uosne uelit an me regnare hera, quidue ferat Fors,
 Uirtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum:
 Quorum uirtuti belli fortuna pepercit,
 Eorundem me libertati parcere, certum est:
 Dono, ducite, doque uolentibu' cum magnis dis.*

Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.

XIII. 39. Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti hosti promiserunt, est in eo ipso fides conseruanda: ut primo Punico bello Regulus captus a Poenis, cum de captiuis commutandis Romam missus esset iurassetque, se rediturum, primum, ut uenit, captiuos non reddendos in senatu censuit; deinde, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem, datam hosti, fallere. 41. Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est. Meminerimus autem, etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. Est autem infima condicio et fortuna seruorum: quibus, non male praecipunt, qui ita iubent uti, ut mercenariis: operam exigendam, iusta praebenda. Cum autem duobus modis, id est, aut ui aut fraude, fiat iniuria, fraus quasi uolpeculae, uis leonis uidetur;

XIII. 39. non reddendos] *reddendos.* censuit] *non censuit.* datam hosti] *hosti datam.* fallere] *fallere.* 40. [*Secundo autem Punico bello post Cannensem pugnam quos decem Annibal Romam adstrictos misit iure iurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent, eos omnes censores, quoad quisque eorum uixit, qui peierassent, in aerariis reliquerunt; nec minus illum, qui iuris iurandi fraude culpam invenerat. Quum enim Annibalis permissu exisset de castris, rediit paullo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris iure iurando se solutum putabat; et erat uerbis: re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non, quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, quum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum: senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbavit.]*

utrunque homine alienissimum, set fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiae nulla capitalior, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut uiri boni esse uideantur. De iustitia satis dictum.

XIV. 42. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia uel liberalitate dicatur. Qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius; set habet multas cautiones. Uidendum est enim primum, ne obsit benignitas et is ipsis, quibus benigne uidebitur fieri, et ceteris; deinde, ne maior benignitas sit, quam facultates; tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. Nam et qui gratificantur cuiquam, quod obsit illi, cui prodesse uelle uideantur, non benefici neque liberales, set perniciosi assentatores indicandi sunt, et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena conuertant.

43. Sunt autem, multi quidem, cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis, aliis quod largiantur, ique arbitrantur, se beneficos in suos amicos uisum iri, si locupletent eos quacunque ratione. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Uidendum igitur est, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllae, C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis uideri. Nihil enim liberale, quod non idem iustum. 44. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset, quam facultates: quod, qui benigniores uolunt esse, quam res patitur, primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos. Quas enim copias his et suppeditari aequius est et relinquere, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas rapiendi plerumque et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copiae. Uidere etiam licet, plerosque non tam natura liberalis, quam quadam gloria ductos, ut benefici uideantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam

XIII. 41. tum, cum] *quum.* dictum] *dictum est.*
 XIV. 42. uel] *ac de.* 43. quidem] *et quidem.* aliis quod] *quod aliis.* ique] *hique.* ab officio] *officio.* igitur est] *est igitur.* C. Caesaris] *et C. Caesaris.* his] *his.* 44. rapiendi plerumque] *plerumque rapiendi.*

a uoluntate uideantur. Talis autem simulatio uanitati est coniunctior, quam aut liberalitati aut honestati. 45. Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus esset dignitatis: in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos et communitas ac societas uitae et ad nostras utilitates officia ante collata. Quae ut concurrant omnia, optabile est; si minus, plures causae maioresque ponderis plus habebunt.

XV. 46. Quoniam autem uiuitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, set cum is, in quibus, praeclare agitur, si sunt simulacra uirtutis, etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio uirtutis appareat; colendum autem esse ita quenque maxime, ut quisque maxime uirtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua multa iam dicta sunt, iustitia. Nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapiente feruentior plerunque est; illae uirtutes uirum bonum uidentur potius attingere. Atque haec in moribus. 47. De beneuolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur. Set beneuolentiam non adolescentulorum more ardore quodam amoris, set stabilitate potius et constantia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, set referenda gratia sit, maior quaedam cura adhibenda est. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. 48. Quodsi ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possit, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio prouocati debemus facere? an imitari agros fertilis, qui multo plus eferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos debemus esse, qui iam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi benefici, alterum reddendi: demus, necne, in nostra potestate est; non reddere uiro bono non licet, modo id facere possit sine iniuria. 49. Acceptorum autem bene-

XV. 47. diligamur] *diligimur.* gratia sit] *sit gratia.*
 48. possit] *possis.* debemus facere] *facere debemus.* debemus esse] *esse debemus.*

ficioꝝ sunt delectus habendi, nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, beneuolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine iudicio uel morbo in omnis, uel repentino quodam, quasi uento, impetu animi incitati: quae beneficia aequae magna non sunt habenda atque ea, quae considerate constanterque delata sunt. Set in collocando beneficio et in referenda gratia, si cetera paria sint, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei plurimum opitulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi is non eget, tamen ei potissimum inseruiunt.

XVI. 50. Optime autem societas hominum coniunctioque seruabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Set quae natura principia sint communitatis et societatis humanae, repetendum uidetur altius. Est enim primum, quod cernitur in uniuersi generis humani societate. Eius autem uinculum est ratio et oratio, quae docendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate; neque ulla re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus; iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus: sunt enim rationis et orationis expertes. 51. Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnis societas haec est, in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est seruanda communitas: ut, quae descripta sunt legibus et iure ciuili, haec ita teneantur, ut sit constitutum: e quibus ipsis cetera sic obseruentur, ut in Graecorum prouerbio est, *Amicorum esse communia omnia*. Omnia autem communia omnium uidentur ea, quae sunt generis eius, quod ab Ennio positum in una re transferri in multas potest:

Homo, qui erranti comiter monstrat uiam,

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.

Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.

XV. 49. morbo] modo. quae] quae iudicio. sint] sunt. ei plurimum] ei potissimum. XVI. 50. docendo] docendo, discendo. 51. omnium] hominum.

Una ex re satis praecipit, ut, quicquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur uel ignoto. 52. Ex quo sunt illa communia: non prohibere aqua profluente; pati ab igne ignem capere, si qui uelit; consilium fidele deliberanti dare: quae sunt is utilia, qui accipiunt, danti non molesta. Quare et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Set quoniam copiae paruae singulorum sunt, eorum autem, qui is egeant, infinita est multitudo: uolgaris liberalitas referenda est ad illum Enni finem: *Nihilominus ipsi lucet*, ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.

XVII. 53. Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa infinita discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur; interius etiam est, eiusdem esse ciuitatis: multa enim sunt ciuibus inter se communia, forum, fana, porticus, niae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. Artior nero colligatio est societatis propinquorum: ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. 54. Nam cum hoc natura sit commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicae. Secuntur fratrum coniunctiones; post consobrinorum sobrinorumque. Qui cum una domo iam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Secuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio et subofes origo rerum est publicarum. Sanguinis autem coniunctio beneuolentia deuincit homines et caritate. 55. Magnum est enim, eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulcra habere communia. Set omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmitior, quam cum uiri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestum, quod saepe dicimus, etiamsi in

XVI. 51. praecipit] *praecipitur.* XVII. 54. hoc natura sit] *sit hoc natura.* rerum est publicarum] *est rerum publicarum.*

alio cernimus, tamen nos mouet atque illi, in quo id inesse uidetur, amicos facit. 56. Et quanquam omnis uirtus nos ad se allicit facitque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse uideatur, tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit. Nihil autem est amabilius nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia, eadem uoluntates, in is fit, ut aequae quisque altero delectetur ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitia putauit, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro et citro datis acceptisque: quae et mutua et grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma deuinciuntur societate. 57. Set cum omnia ratione animoque lustraueris, omnium societatum nulla est grauior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; set omnis omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui et lacerauerunt omni scelere patriam et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt. 58. Set si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sint patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus; proximi liberi totaque domus, quae spectat in nos solos neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene conuenientes propinqui, quibuscum communis etiam fortuna plerunque est. Quamobrem necessaria praesidia uitae debentur is maxime, quos ante dixi; uita autem uictusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes in amicitia uigent maxime, estque ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugauit.

XVIII. 59. Set in his omnibus officiis tribuendis uidendum erit, quid cuique maxime necesse sit, et quid quisque uel sine nobis aut possit consequi aut non pos-

XVII. 56. studia] *studia sunt.* ultimum in amicitia putauit] *uult in amicitia.* et citro] *citro.* acceptisque] *acceptis.* 57. lustraueris] *lustraris.* et lacerauerunt] *lacerarunt.*

sit. Ita non idem erunt necessitudinum gradus, qui temporum; suntque officia, quae aliis magis, quam aliis, debeantur. Ut uicinum citius adiueris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem; at, si lis in iudicio sit, propincum potius et amicum, quam uicinum defenderis. Haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus et addendo deducendoque uidere, quae relicui summa fiat: ex quo, quantum debeat unicuique, intelligatur. 60. Set ut nec medici nec imperatores nec oratores, quamuis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt: sic officii conseruandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi, set rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab is rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quemadmodum ducatur honestum, ex quo aptum officium, satis fere diximus. 61. Intelligendum autem, cum proposita sint genera quatuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum uideri, quod animo magno humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:

*Uos etenim iuuenes animum geritis muliebrem;
Illa uirago uiri,*

et si quid eiusmodi:

Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine!

Contraque in laudibus, quae magno animo excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris; noster Cocles hinc, hinc Decii, hinc Cn. et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii; maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque uidemus ornatu fere militari.

XVIII. 59. officio] *officio et consuetudo exercitatioque capienda.* debeat unicuique] *cuique debeat.* intelligatur] *intelligas.* 60. aptum] *aptum est.* 61. autem] *est autem.* magno] *magno elatoque.* humanasque] *humanas.* animo] *animo, fortiter.* noster Cocles hinc] *hinc noster Cocles,*

XIX. 62. Set ea animi elatio, quae cernitur in periculis et laboribus, si iustitia uacat pugnatque non pro salute communi, set pro suis commodis, in uitio est. Non modo enim id uirtutis non est, set est potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam uirtutem esse dicunt, propugnantem pro aequitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus. Nihil honestum esse potest, quod iustitia uacat. 63. Praeclarum igitur illud Platonis: *Non, inquit, solum scientia, quae est remota ab iustitia, culliditas potius, quam sapientia est appellanda, uerum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis.* Itaque uiros fortis, magnanimos, eosdem bonos et simplicis, ueritatis amicos minimeque fallaces esse uolumus: quae sunt ex media laude iustitiae. 64. Set illud odiosum est, quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, *secundum morem Lacedaemoniorum inflammata esse cupiditatem uincendi:* sic, ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime uult princeps omnium uel potius solus esse. Difficile autem, cum praestare omnibus concupiueris, seruare aequitatem, quae est iustitiae maxime propria. Ex quo fit, ut neque disceptatione uinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur: existuntque in republica plerunque largitores et factiosi, ut opes quam maximas consequantur et sint utcuque potius superiores, quam iustitia pares. Set quo difficilius, hoc praeclarus. Nullum enim est tempus, quod iustitia uacare debeat. 65. Fortes igitur et magnanimi sunt habendi non, qui faciunt, set qui propulsant iniuriam. Uera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudi-

XIX. 63. magnanimos] *et magnanimos.* 64. secundum] *omnem. inflammata] inflammatum. cupiditatem] cupiditate. autem] autem est. concupiueris] concupieris. utcuque] uic enim est] est enim.*

cat, principemque se esse manolt, quam uideri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis uiris non est habendus. Facillime autem ad res iniustas impellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate: qui locus est sane lubricus, quoniam uix inuenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

XX. 66. Hominis fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in rerum exter-
narum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere, nullique neque omni neque perturbationi animi nec fortunae succumbere. Altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxime utiles, set ut uehementer arduas plenasque laborum et periculorum cum uitae, tum multarum rerum, quae ad uitam pertinent. 67. Harum rerum duarum splendor omnis, amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore; causa autem et ratio, efficiens magnos uiros, in priore. In eo est enim illud, quod excellentis animos et humana contemnentis facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, id est, si et solum id, quod honestum sit, bonum iudices et ab omni animi perturbatione liber sis. Nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara uidentur, parua ducere eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi et magni ducendum est, et ea, quae uidentur acerba, quae multa et uaria in hominum uita fortunaque uersantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedat, nihil a dignitate sapientis, robusti animi magnaue constantiae. 68. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec, qui se inuictum a labore praestiterit, uinci a uoluptate. Quamobrem et haec uitanda et pecuniae fugienda cupiditas. Nihil enim tam angusti

XIX. 65. quoniam] *quod*. XX. 66. Hominis] *Omnino*.
omni] *homini*. cum uitae] *tum uitas*. 67. amplitudo] *et*
amplitudo. posteriore] *posteriore est*. id est, si] *si*. et
magni] *magnique*. discedat] *discedas*. animi] *animi est*. 68. se
inuictum] *inuictum se*. uitanda] *uidenda*. enim] *enim est*.

animi tamque parui, quam amare diuitias; nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cauenda etiam est gloriae cupiditas, ut supra dixi: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis uiris omnis debet esse contentio. Nec uero imperia expetenda ac potius aut non accipienda interdum aut deponenda nonnunquam. 69. Uacandum autem omni animi est perturbatione cum cupiditate et metu tum etiam aegritudine et uoluptate nimia et iracundia, ut tranquillitas animi et securitas assit, quae affert cum constantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se remouerint ad otiumque perfugerint: in his et nobilissimi philosophi longaeque principes et quidam homines seueri et graues nec populi nec principum mores ferre potuerunt, uixeruntque nonnulli in agris delectati re sua familiari. 70. His idem propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cuius proprium est, sic uiuere, ut uelis.

XXI. Quare, cum hoc sit commune potentiae cupidorum cum is, quos dixi, otiosis, alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant, alteri, si contenti sint et suo et paruo. In quo neutrorum omnino contemnenda sententia est: set et faciliior et tutior et minus aliis grauis aut molesta uita est otiosorum; fructuosior autem hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempublicam et ad magnas res gerendas accommodauerunt. 71. Quapropter et is forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dederunt, et is, qui aut ualetudinis imbecillitate aut aliqua grauiore causa impediti a republica recesserunt, cum eius administrandae potestatem aliis laudemque concederent. Qui autem, talis nulla si causa sit, despiciere se dicant ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus, is non modo non laudi, uerum

XX. 68. etiam est] *est etiam*. 69. animi est] *est animi*. cum cupiditate] *tum cupiditate*. remouerint] *remouerunt*. per-
fugerint] *perfugerunt*. XXI. 70. sit commune] *commune sit*.
71. Qui autem] *Quibus autem*. si causa sit] *sit causa, si*.

etiam uitio dandum puto. Quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant et pro nihilo putent, difficile factu est non probare; set uidentur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi constant: uoluptatem seuerissime contemnant, in dolore sint molliores; gloriam negligent, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter. 72. Set is, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiscendi magistratus et gerenda respublica est. Nec enim aliter aut regi ciuitas aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rempublicam nihilo minus, quam philosophis, haut scio an magis etiam et magnificentius et despicientia adhibenda sit rerum humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi atque securitas: siquidem nec anxii futuri sunt et cum grauitate constantiaque uicturi. 73. Quae facilliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum uita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent, et quia, si quid aduersi eueniat, tam grauiter cadere non possunt. Quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rempublicam gerentibus, quam quietis: quo magis is et magnitudo est animi adhibenda et uacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat, ne id modo consideret, quam illa honesta res sit, set etiam, ut habeat efficiendi facultatem: in quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignauiam aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens.

XXII. 74. Set cum plerique arbitrentur, res bellicas maiores esse, quam urbanas, minuenda haec est opinio. Multi enim bella saepe quaesiuerunt propter gloriae cupiditatem: atque id in magnis animis ingenisque plerunque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum. Uere autem si uolumus iudicare, multae res exstite-

XXI. 72. magnificentias] *magnificentia*. humanarum] *humanarum et ea*. et tranquillitas] *tranquillitas*. honesta res] *res honesta*. XXII. 74. haec est] *est haec*.

runt urbanae maiores clarioresque, quam bellicae. 75. Quamuis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen, quam Solonis, illustrius citeturque Salamis clarissimae testis uictoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas: non minus hoc praeclarum, quam illud, iudicandum est. Illud enim semel profuit; hoc semper proderit ciuitati, hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta seruantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuuerit; at ille uere, se adiuuisse Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus. 76. Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere. Quorum rebus gestis quanquam imperium Lacedaemoniis partum, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt. Quam etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores. Mihi quidem neque, pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum uersaremur in republica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebatur. Parui enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. Nec plus Africanus, singularis et uir et imperator, in excidenda Numantia reipublicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica, priuatus, cum Ti. Gracchum interemit. Quanquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione (attingit etiam bellicam, quoniam ui manuque confecta est); set id ipsum tamen est gestum consilio urbano, sine exercitu. 77. Illud autem optimum est, in quod inuadi solere ab improbis et inuidis audio:

Cedant arma togae.

Ut enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus nonne togae arma cesserunt? Neque enim periculum in republica fuit grauius unquam nec maius otium: ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum ciuium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? 78. Licet enim mihi,

XXII. 75. hoc praeclarum] *praeclarum hoc.* se adiuuisse] *ab se adiutum.* 76. Lacedaemoniis partum] *Lacedaemonis putatur dilatatum.* id ipsum tamen] *tamen id ipsum.* 77. togae] *togae, concedat laurea laudi.*

Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe uir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus: in quibus etiam plus, quam in his, operae studique ponendum est.

XXIII. 79. Omnino illud honestum, quod quaerimus, animi efficitur, non corporis uiribus: exercendum tamen corpus et ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicae praesunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata: ut M. Catonis tertium Punicum, in quo etiam mortui ualuit auctoritas.

80. Quare expetenda magis quidem decernendi ratio, quam decertandi fortitudo; set cauendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita uideatur. Fortis uero et constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultu ante de gradu deiici, ut dicitur; set praesenti animo uti et consilio nec a ratione discedere.

81. Quauquam hoc animi, illud etiam ingeni magui est, praecipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utranque partem et quid agendum sit, cum quid euenierit, nec committere, ut aliquando dicendum sit: *Non putaueram*. Haec sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie uersari et manu cum hoste configere, immane quiddam et beluarum simile est; set cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est et mors seruituti turpitudinique anteponenda.

XXII. 78. etiam plus] *plus etiam*. XXIII. 79. quod] *quod ex animo excelso magnificoque*. tertium] *bellum tertium*. 80. magis quidem] *quidem magis est*. tumultu aute] *tumultuantem*. 81. putaueram] *putaram*.

XXIV. 82. De evertendis autem diripiendisque urbibus ualde considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est uiri magni, rebus agitatae poenire sontis, multitudinem conseruare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponunt: sic reperias multos, quibus periculosa et calida consilia et quietis et cogitatis splendidiora et maiora uideantur. 83. Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique uideamur; set fugiendum illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo esse nihil potest stultius. Quapropter in aduendis periculis consuetudo imitanda medicorum, qui leuiter aegrotantis leniter curant, grauioribus autem morbis periculosas curationes et ancipitis adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem aduersam optare, dementis est; subuenire autem tempestate naui omni ratione, sapientis: eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali. Periculosae autem rerum actiones partim is sunt, qui eas suscipiunt, partim reipublicae. Itemque alii de uita, alii de gloria et beneuolentia ciuium in discrimen uocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore et gloria, quam de ceteris commodis. 84. Inuenti autem multi sunt, qui non modo pecuniam, set etiam uitam profundere pro patria parati essent; idem gloriae iacturam ne minimam quidem facere uellent, ne re quidem publica postulante: ut Callicratidas. Qui cum Lacedaemoniorum dux Peloponnesiaco bello multa fecisset egregie, uertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginisis remouendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit, Lacedaemonios classe illa amissa aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris;

XXIV. 82. anteponunt] *anteponant.* et quietis] *quietis.* splendidiora] *et splendidiora.* 83. illud] *etiam illud.* medicorum] *medicorum est.* tempestate] *tempestatu.* nauis] *quavis.* omni ratione] *ratione.* 84. etiam uitam] *uitam etiam.* ne re quidem publica] *ne re publica quidem.* dux] *dux fuisset.* multa] *multaque.*

illa pestifera, qua, cum Cleombrotus inuidiam timens temere cum Epaminonda conflisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem;

Non enim rumores ponebat ante salutem:

Ergo postque magisque uiri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi uitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod sentiunt, si optimum sit, tamen inuidiae metu non audent dicere omnino.

XXV. 85. Qui reipublicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut, quaecunque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicae curent, ne, dum partem aliquam tueantur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio reipublicae ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa, gerenda est. Qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo euenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque uideantur, pauci uniuersorum.

86. Hinc apud Atheniensis magnae discordiae; in nostra republica non solum seditiones, set etiam pestifera bella. Quae grauis et fortis cinis et in republica dignus principatu fugiet atque oderit: tradetque se totum reipublicae neque opes aut potentiam consecrabitur totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec uero criminibus falsis in odium aut inuidiam quenquam uocabit omnino: itaque iustitiae honestatique adhaerescet, ut, dum ea conseruet, quamuis grauiter offendant mortemque oppetat potius, quam deserat illa, quae dixi. 87. Miserrima omnino est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, *similiter facere eos, qui inter se contendunt, uter potius rempublicam administret, ut si nauatae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.* Idemque praecipit, ut *eos aduersarios existimemus, qui arma contra ferant; non eos, qui suo iudicio tueri rempublicam*

XXIV. 84. si] etiam si. dicere omnino] dicere. Omnino.
 XXV. 85. tueantur] tuentur. 86. etiam pestifera] pestifera
 etiam. bella] bella civilia. omnino, itaque] omninoque ita.
 87. contendunt] contenderent. administret] administraret.

uelint: qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate dissensio. 88. Nec uero audiendi, gra- uiter qui inimicis irascendum putant idque magnanimi et fortis uiri esse censent. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro uiro dignius placabilitate atque clem- entia. In liberis uero populis et in iuris aequabili- tate exercenda etiam est facilitas et altitudo animi, quae dicitur, ne, si irascamur aut intempestiue accedentibus aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est man- suetudo atque clementia, ut adhibeatur reipublicae causa seueritas, sine qua administrari ciuitas non potest. Omnis autem et animaduersio et castigatio contumelia uacare debet neque ad eius, qui poenitur aliquem aut uerbis fatigat, set ad reipublicae utilitatem referri. 89. Cauendum est etiam, ne maior poena, quam culpa, sit et ne isdem de causis alii plectantur, alii ne appel- lentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in poeniendo. Nunquam enim, iratus qui accedet ad poe- nam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter ni- mium et parum: quae placet Peripateticis et recte pla- cet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent, utiliter a natura datam. Illa uero omnibus in rebus repudianda est optandumque, ut i, qui praesunt reipublicae, legum similes sint, quae ad poeniendum non iracundia, set aequitate ducuntur.

XXVI. 90. Atque etiam in rebus prosperis et ad uoluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Nam ut aduersas res, sic secundas inmoderate ferre, leuitatis est; prae- claraque est aequabilitas in omni uita et idem semper uoltus eademque frons: ut de Socrate itemque de C. Lae- lio accepimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio; facilitate et humanitate uideo superiorem fuisse. Itaque alter sem- per magnus, alter saepe turpissimus: ut recte praeci- pere uideantur, qui monent, ut, quanto superiores si- mus, tanto nos geramus summissius. Panaetius quidem Africanum, auditorem et familiarem suum, solitum ait dicere, *ut equos, propter crebras contentiones proe-*

XXV. 88. grauiter qui] *qui graviter.* inimicis irascen- dum] *irascendum inimicis.* putant] *putabunt.* censent] *cen- sebunt.* altitudo] *lenitudo.* XXVI. 90. simus] *sumus.*

liorum ferocitate exsultantis, domitoribus tradere solent, ut is facillioribus possint uti: sic homines, secundis rebus ecfrenatos sibi que praefidentis, tanquam in girum rationis et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem uarietatemque fortunae. 91. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum, isque maior etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. Isdemque temporibus cauendum est, ne assentatoribus patefaciamus auris, ne adulari nos sinamus. In quo falli facile est: talis enim nos esse putamus, ut iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur et in maximis uersantur erroribus. Set haec quidem hactenus. 92. Illud autem sic est iudicandum, maximas geri res ab is et maximi esse animi, qui republicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad plurimosque pertineat; esse autem magni animi multos et fuisse etiam in uita otiosa, qui aut inuestigarent aut conarentur magna quaedam seseque suarum rerum finibus continerent aut interiecti inter philosophos et eos, qui rempublicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes neque excludentes ab eius usu suos, potiusque et amicis impertientes et reipublicae, si quando usus esset.

Quae primum bene parta sit nullo neque turpi quaestu neque odioso; tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebat; deinde augeatur ratione, diligentia, parcimonia, nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati et beneficentiae, pareat. Haec praescripta seruantem licet magnifice, grauius animoseque uiuere atque etiam simpliciter, fideliter, nitae hominum amice.

XXVII. 93. Sequitur, ut de una relicua parte honestatis dicendum sit, in qua nerecundia et quasi quidam ornatus uitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod Graece *πρέπον* dicitur, decorum dici Latine potest. Huius uis ea est, ut ab

XXVI. 90. solent] *soleant*. 91. ne adulari] *nec adulari*. 92. res ab is et maximi esse animi] *res et maximi animi ab iis*. multos et fuisse] *et fuisse multos*. pareat] *pateat*. XXVII. 93. Graece *πρέπον* dicitur, decorum dici

honesto non queat separari. 94. Nam et, quod decet, honestum est, et, quod honestum est, decet. Qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intelligi, quam explanari, potest. Quicquid est enim, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, set etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam et ratione uti atque oratione prudenter et agere, quod agas, considerate, omnique in re quid sit ueri, uidere et tueri decet; contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare: et iusta omnia decora sunt; iniusta contra: ut enim turpia, sic indecora. Similis ratio est fortitudinis. Quod enim uiriliter animoque magno fit, id dignum uiro et decorum uidetur; quod contra, id, ut turpe, sic indecorum. 95. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum, et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, set sit in promptu. Est enim quiddam (idque intelligitur in omni uirtute), quod deceat: quod cogitatione magis a uirtute potest, quam re, separari. Ut uenustas et pulchritudo corporis secerni non potest a ualetudine: sic hoc, de quo loquimur, decorum totum illud quidem est cum uirtute confusum, set mente et cogitatione distinguitur. 96. Est autem eius descriptio duplex. Nam et generale quoddam decorum intelligitur, quod in omni honestate uersatur, et aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partis honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet: *decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in qua natura eius a reliquis animantibus differat.* Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut *id decorum uelint esse, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.*

XXVIII. 97. Haec ita intelligi, possumus existimare ex eo, quod poetae ea secuntur: de quo alio loco plura dici solent. Set utrunque seruare poetas dicimus,

Latine potest] *dici Latine decorum potest: Graece enim πρόπον dicitur.* 94. delirare] *delirare et mente esse captum.* ut enim] *ut.* ratio est] *est ratio.* 96. intelligitur] *intelligimus.* XXVIII. 97. eo] *eo decoro.* ea secuntur] *sequuntur.* utrunque] *tum.* poetas] *illud poëtas, quod deceat.*

cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur: ut si Aeacus aut Minos diceret:

Oderint, dum metuant!

ant:

Natis sepulcro ipse es parens!

indecorum uideretur, quod eos fuisse iustos accepimus; at Atreo dicente plausus excitantur: est enim digna persona oratio. Set poetae, quid quenque deceat, ex persona iudicabunt; nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque. 98. Quocirca poetae, in magna uarietate personarum, etiam uitiosis quid conueniat et quid deceat, uidebunt. Nobis autem cum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, uerecundiae partes datae sint, cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos aduersus homines geramus: efficitur, ut et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum quam latissime fusum sit ac pateat et hoc, quod spectatur in unoquoque genere uirtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in uita, mouet approbationem eorum, quibuscum uiuitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum. 99. Adhibenda est igitur quaedam reuerentia et optimi cuiusque et relicuorum. Nam negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, set etiam omnino dissoluti. Est autem, quod differat in hominum ratione habenda inter iustitiam et uerecundiam. Iustitiae partes sunt, non uiolare homines; uerecundiae, non offendere: in quo maxime uis perspicitur decori. His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto. 100. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primam habet uiam, quae deducit ad conuenientiam conseruationemque naturae. Quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus assequemurque et id, quod acutum et perspicax naturae est, et id, quod ad hominum consociationem

XXVIII. 97. es] *est.* praestantiaque] *praestantiaque animantium reliquarum.* 98. latissime] *late.* ac pateat] *appareat.* 99. reuerentia] *reuerentia aduersus homines.* etiam] *[etiam].* 100. primam] *primum.* naturae] *natura.*

accommodatum, et id, quod uehemens atque forte. Set maxima uis eius est in hac parte, de qua disputamus. Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, set multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. 101. Duplex est enim uis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quae est *ὄρεξις* Graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumue sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet.

XXIX. Omnis autem actio uacare debet et temeritate et negligentia. Haec est enim fere descriptio officii. 102. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediunt eamque neque praecurrant nec propter pigritiam aut ignauiam deserant, sintque tranquilli atque omni perturbatione careant: ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius euagantur et tanquam exsultantes siue cupiendo siue fugiendo non satis a ratione retinentur, i sine dubio finem et modum transeunt. Relinunt enim omnino et abiiciunt obedientiam nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, set etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt aut uoluptate nimia gestiunt: quorum omnium uultus, uoces, motus statusque mutantur. 103. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam reuertamur), appetitus omnis contrahendos sedandosque esse excitandamque animaduersionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse uideamur; ad seueritatem potius et ad quaedam studia grauiora atque maiora. Ludo autem et ioco uti illo quidem licet; set, sicut somno et quietibus ceteris, tum, cum grauibz rebus seriisque satisfecerimus. Ipsumque genus iocandi non profusum neque immodestum, set ingenuum et facetum

XXVIII. 100. eius est] *decori.* parte] *inest parte.*
 XXIX. 101. et temeritate] *temeritate.* negligentia] *negligentia, nec uero agere quidquam, cuius non possit causam probabilem reddere.* 102. omni] *omni animi.* enim omnino] *enim.* 103. rebus seriisque] *seriisque rebus.* neque] *nec.*

esse debet. Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, set eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingeni lumen eluceat. 104. Duplex omnino iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, set etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaue multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae uocant ἀποφθγγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est, si temperate fit, remisso homine dignus; alter ne libero quidem, si rerum turpitudine adhibetur aut uerborum obscœnitas. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatque uoluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia uenandi honesta exempla ludendi.

XXX. 105. Set pertinet ad omnem officii quaestionem, in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus relicuisque beluis antecedit. Illae nihil sentiunt, nisi uoluptatem, ad eamque feruntur omni impetu; hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirat aut agit uidendique et audiendi delectatione ducitur. Quin etiam, si quis est paulo ad uoluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, set nomine), set si quis est paulo erectior, quamuis uoluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum uoluptatis propter uerecundiam. 106. Ex quo intelligitur, corporis uoluptatem non satis esse dignam hominis praestantia eamque contemni et reiici oportere; sin sit quispiam, qui aliquid tribuat uoluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. Itaque uictus cultusque corporis ad ualeitudinem referatur et ad uiris, non ad uoluptatem. Atque etiam si considerare uolumus, quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffnere luxuria, delicate ac molliter uiuere, quamque honestum parce,

XXIX. 103. licentiam ludendi] *ludendi licentiam.*
 104. omnino] *omnino est.* igitur est] *est igitur.* temperate]
tempore. XXX. 105. in] *semper in.* 106. delicate] *et delicate.*

continenter, seuerē, sobrie. 107. Intelligendum etiam est, duabus quasi nos a natura indutos esse personis, quarum una communis est ex eaque omnes participes sumus praestantiae, a qua omne honestum decorumque trahitur et ex qua ratio inueniendi officii exquiritur; altera autem, quae proprie singulis est tributa. Ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt (alios uidemus uelocitate ad cursum, alios uiribus ad luctandum ualere; itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis uenustatem): sic in animis existunt maiores etiam uarietates. 108. Erat in L. Crasso, in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare, L. F.: at eisdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adolescente singularis seueritas; in C. Laelio multa hilaritas; in eius familiari Scipione ambitio maior, uita tristior. De Graecis autem dulcem et facetum festiuique sermonis atque in omni oratione simulatorem (quem *εἰσώσα* Graeci nominauerunt) Socratem accepimus; contra Pythagoram et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus, facile celare, dissimulare, insidiari, praeripere hostium consilia. In quo genere Graeci Themistoclem et Pheraeum Iasonem ceteris antepouunt. 109. Sunt alii, his dispares multum, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant, ueritatis cultores, fraudis inimici. Itemque alii, qui quiduis perpetiantur, cuius deseruiant, dum, quod uelint, consequantur: ut Syllam et M. Crassum uidebamus. Quo in genere uersutissimum et patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus; contraque Callicratidam, qui praefectus classis proximus post Lysandrum fuit. Itemque in sermonibus alium uidemus, quamuis praepotens sit, efficere, ut unus de multis esse uideatur: quod in Catulo, et

XXX. 107. eaque] *eo, quod.* praestantiae] *rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis.* 108. nominauerunt] *nominauerunt.* celare] *celare, tacere.* praeripere] *praecipere.* antepouunt] *antepouunt: in primisque uersutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior uita eius esset et plus aliquanto rei publicae prodesset, furere se simulauit.* 109. alii, his] *his alii.* dispares multum] *multum dispares.* classis] *classi.*

patre et filio, idemque in Q. Mucio Mancina uidimus. Audiui ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica; contraque patrem eius, illum, qui Ti. Gracchi conatus perditos uindicauit, nullam comitatem habuisse sermonis ob eamque rem ipsam uirum magnum clarum fuisse. Innumerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae morumque, minime tamen uituperandorum.

XXXI. 110. Admodum autem tenenda sunt sua cuique, non uitiosa, set tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quaerimus, retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra uniuersam naturam nihil contendamus; ea tamen conseruata propriam naturam sequamur: ut, etiamsi sint alia grauiora atque meliora, tamen nostra studia nostrae naturae regula metiamur. Neque enim attinet, naturae repugnare nequicquam, sequi, quod assequi non queas (ex quo magis emergit, quale sit decorum illud): ideo quia nihil decet inuita Minerua, ut aiunt, id est, aduersante et repugnante natura. 111. Omnino si quicquam est decorum, nihil est profecto magis, quam aequabilitas uniuersae uitae, tum singularum actionum: quam conseruare non possis, si aliorum naturam imitans omitas tuam. Ut enim sermone eò debemus uti, qui notus est nobis, ne, ut quidam Graeca uerba inculcantes, iure optimo rideamur: sic in actiones omnemque uitam nullam discrepantiam conferre debemus. 112. Atque haec differentia naturarum tantam habet uim, ut nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem causa non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan uitio datum esset, si se interemisent, propterea quod lenior eorum uita et mores fuerant faciliores; Catoni cum incredibilem tribuisset natura grauitatem eamque ipse perpetua constantia roborauisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam tyranni uoltus

XXX. 109. patre et filio] *in patre et in filio.* idemque] *itemque.* sermonis] *sermonis;* † *ne Xenocratem quidem seuerissimum philosophorum.* uirum magnum] *magnum.* clarum] *clarumque.* XXXI. 110. nostra studia] *nos studia nostra.* nequicquam] *nec quidquam.* queas (ex quo — illud): ideo] *queas. Ex quo — illud, ideo.*

aspiciendus fuit. 113. Quam multa passus est Ulixes in illo errore diurno, cum et mulieribus (si Circe et Calypso mulieres) inseruiret et in omni sermone omnibus affabilem et iucundum se esse uellet! Domi uero etiam contumelias seruorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perueniret. At Ajax, quo animo traditur, milies oppetere mortem, quam illa perpeti, maluisset. Quae contemplantis expendere oportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari nec uelle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maxime quenque decet, quod est cuiusque maxime suum. 114. Suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et uitiorum suorum iudicem praebat, ne scenici plus, quam nos, uideantur habere prudentiae. Illi enim non optimas, set sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui uoce freti sunt, Epigonos Medumque; qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram; semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam; non saepe Aesopus Aiacem. Ergo histrio hoc uidebit in scena: non uidebit sapiens uir in uita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in is potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingeni non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non decore, at quam minime indecore facere possimus; nec tam est enitendum, ut bona, quae in nobis non sunt, assequamur, quam ut uitia fugiamus.

XXXII. 115. Ac duabus is personis, quas dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus imponit; quarta etiam, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiae, opes eaque, quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur. Ipsi autem gerere quam personam uelimus, a nostra uoluntate profiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius ciuile, alii ad eloquentiam applicant: ipsarumque uirtutum in alia alius mauolt excellere. 116. Quorum uero patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, i student plerunque eodem in genere laudis excellere:

XXXI. 113. mulieres] *mulieres appellandae sunt. se esse] esse se. perueniret] ueniret. 114. in nobis] nobis data. sunt] sint. XXXII. 115. dixi] supra dixi.*

ut Q. Mucius, P. F., in iure civili; Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulatit bellicam gloriam; quod idem fecit Timotheus, Coronis filius, qui cum belli laude non inferior fuisset, quam pater, ad eam laudem doctrinae et ingeni gloriam adrexit. Fit autem interdum, ut nonnulli, ommissa imitatione maiorum, suum quoddam institutum sequantur: maximeque in eo plerunque elaborant i, qui magna sibi proponunt, obscuris orti maioribus. 117. Haec igitur omnia, cum quaerimus, quid deceat, complecti animo et cogitatione debemus. In primis autem constituendum est, quos nos et qualis esse uelimus et in quo genere uitae: quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consili, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamauit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque uiuendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare. 118. Nam quod Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret (quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque uiam uiuendi sit ingressurus, datum est), exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret uias, unam Uoluptatis, alteram Uirtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, Iouis satu edito, potuit fortasse contingere; nobis non idem, qui imitamur, quos cuique uisum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur; plerunque autem, parentium praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima uidentur, maxime ea optant. Nonnulli tamen, siue felicitate quadam, siue bonitate naturae, sine parentium disciplina sunt rectam uitae secuti uiam.

XXXIII. 119. Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui, aut excellentis ingeni magnitudine aut praeclara eruditione atque doctrina aut utraque re or-

XXXII. 116. sequantur] *consequantur.* 118. Prodicus] *Prodicium.* dicit] *dicunt.* idem] *item.* maxime ea] *ea maxime.* optant] *exoptant.* sine] *siue.* sunt rectam uitae secuti] *rectam uitae secuti sunt.*

nati, spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum uitae cursum sequi uellent: in qua deliberatione ad suam cuiusque naturam consilium est omne reuocandum. Nam cum in omnibus, quae aguntur, ex eo, quo modo quisque natus est, ut supra dictum est, quid deceat, exquirimus, tum in tota uita constituenda multo isti rei cura maior adhibenda, ut constare in perpetuitate uitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare. 120. Ad hanc autem rationem quoniam maximam uim natura habet, fortuna proximam: utriusque omnino habenda ratio est in deligendo genere uitae; set naturae magis. Multo enim et firmitior est et constantior, ut fortuna nonnunquam tanquam ipsa mortalis cum immortalis natura pugnare uideatur. Qui igitur ad naturae suae non uitiosae genus consilium uiuendi omne contulerit, is constantiam teneat (id enim maxime decet): nisi forte intellexerit, se errasse in deligendo genere uitae. Quod si acciderit (potest autem accidere), facienda morum institutorumque mutatio est. Eam mutationem si tempora adiuuabunt, facilius commodiusque faciemus; sin minus, sensim erit pedetentimque facienda: ut amicitias, quae minus delectent et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente praecidere. 121. Commutato autem genere uitae, omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse uideamur. Set quoniam paulo ante dictum est, imitandos esse maiores, primum illud exceptum sit, ne uitia sint imitanda; deinde, si natura non feret, ut quaedam imitari possit (ut superioris filius Africani, qui hunc Paulo natum adoptauit, propter infirmitatem ualetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui); si igitur non poterit siue causas defensitare siue populum concionibus tenere siue bella gerere: illa tamen praestare debet, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria uirtutis rerumque gestarum: cui dedecori esse, nefas et impium iudicandum est.

XXXIII. 119. isti] *est ei.* 120. tanquam ipsa] *ipsa.*
 120. intellexerit, se] *se intellexerit.*

XXXIV. 122. Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur aliaque sunt iuuenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis, maiores natu uereri exque is deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur: ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in ciuilibus rebus uigeat industria. Atque etiam, cum relaxare animos et dare se iucunditati uolent, caueant intemperantiam, meminerint uerecundiae: quod erit facilius, si ne in eiusmodi quidem rebus maiores natu nolent interesse. **123.** Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae uidentur; danda uero opera, ut et amicos et iuuentutem et maxime rempublicam consilio et prudentia quam plurimum adiuuent. Nihil autem magis cauendum est senectuti, quam ne languori se desidiaequae dedat. Luxuria uero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem etiam libidinum intemperantia accessit, duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. **124.** Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de priuatorum, de cinium, de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium magistratus, intelligere, se gerere personam ciuitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, seruare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisse. Priuatum autem oportet aeque et pari cum ciuibus iure uiuere, neque summissum et abiectum neque se eferentem; tum in republica ea uelle, quae tranquilla et honesta sunt; talem enim solemus et sentire ciuem bonum et dicere. **125.** Peregrini atque incolae officium est, nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere minimeque esse in aliena republica curiosum. Ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. Nihil est autem, quod tam deceat,

XXXIV. 122. rebus] *officiis.* ne in] *in.* nolent] *uolent.*
123. accessit] *accesserit.* **124.** proprium] *proprium munus.* sunt]
sint. ciuem bonum] *bonum ciuem.* **125.** atque] *autem atque.*

quam in omni re agenda consilioque capiendo seruare constantiam.

XXXV. 126. Set quoniam illud decorum in omnibus factis, dictis, in corporis denique motu et statu cernitur idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto (difficilibus ad eloquendum, set satis erit intelligi); in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur is, quibuscum apud quosque niuamus: his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis nostri magnam natura ipsa uidetur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu; quae partes autem corporis, ad naturae necessitatem datae, aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contextit atque abdidit. 127. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum uerecundia. Quae enim natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis; ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime pareant; quarumque partium corporis usus sunt necessarii, neque eas partis neque earum usus suis nominibus appellant; quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscenum est. Itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia uacat nec orationis obscenitas. 128. Nec uero audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt et irrident, quod ea, quae re turpia non sint, moribus ac uerbis flagitiosa ducamus; illa autem, quae turpia, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est, set dicitur non obscene; liberis dare operam re honestum est, nomine obscenum: pluraque in eam sententiam ab eisdem contra uerecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubitio, uoltus, oculi, manuum motus teneat illud decorum. 129. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum aut molle, ne quid durum aut rusticum sit.

XXXIV. 125. agenda] *gerenda*. XXXV. 126. illud decorum] *decorum illud*. 127. neque eas] *eas neque*. 128. sint] *sunt*. moribus ac uerbis] *uerbis*. turpia] *turpia sunt*. teneat] *teneant*. 129. ne] *et ne*.

Nec uero histrionibus oratoribusue concedendum est, ut is haec apta sint, nobis dissoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet uetere disciplina uerecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo: uerentur enim, ne, si quo casu euenerit, ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lauantur. Retinenda igitur est huius generis uerecundia, praesertim natura ipsa magistra et duce.

XXXVI. 130. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero uenustas sit, in altero dignitas: uenustatem muliebrem debemus ducere, dignitatem uirilem. Ergo et a forma remoueatur omnis uiro non dignus ornatus et huic simile uitium in gestu motuque caueatur. Nam et palaestrici motus sunt saepe odiosiores et histrionum gestus nonnulli inepti non uacant offensione et in utroque genere, quae sunt recta et simplicia, laudantur. Formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est; color exercitationibus corporis. Adhibenda praeterea munditia non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda uestitus: in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima. 131. Cauendum autem est, ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse uideamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus mouetur, uultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cauebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, et si attentos animos ad decoris conseruationem tenebimus. 132. Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in uero exquirendo maxime uersatur; appetitus impellit ad agendum. Curandum

XXXV. 129. oratoribusue] *oratoribusque.* XXXVI. 130. debemus ducere] *ducere debemus.* gestus nonnulli] *nonnulli gestus.* inepti non uacant offensione] *ineptis non uacant.* munditia] *munditia est.* ratio est] *ratio [est].* optima] *optima est.* 131. autem est] *est autem.* mouetur] *mouentur.*

est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur, appetitum obedientem rationi praebeamus.

XXVII. Et quoniam magna uis orationis est eaque duplex, altera contentio, altera sermonis: contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium uersetur, persequatur etiam conuiuia. Contentio praeepta sunt, nulla sermonis: quanquam haut scio an possint haec quoque esse. Sed discentium studiis inueniuntur magistri: huic autem qui studeant, nulli; rhetorum turba referta omnia. Quanquam, quae uerborum sententiarumque praeepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. 133. Sed cum orationis indicem uocem habeamus, in uoce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrunque omnino a natura petendum est; uerum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. Quid fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum, quanquam erant litterati? hi autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis; litterae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum; sine contentione uox nec languens nec canora. Uberior oratio L. Crassi nec minus faceta; sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sane uero conditis facetiis Caesar, Catuli patris frater, uicit omnis: ut in illo ipso forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone uinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in re omni, quid deceat, exquirimus.

134. Sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime excellent, lenis minimeque pertinax; insit in eo lepos. Nec uero, tanquam in possessionem suam uenerit, excludat alios; sed cum relicuis in sermone communi uicissitudinem non iniquam putet. Ac uideat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, seneritatem adhibeat; si iocosis, leporem. In primisque prouideat, ne sermo uitium aliquod indicet inesse in moribus: quod

XXXVI. 132. obedientem rationi] *rationi obedientem.*
 XXXVII. persequatur] *sequatur.* praeepta] *praeepta rhetorum.* nulli] *sunt nulli.* 133. Quid] *Nihil.* litterati] *litterati; sed et alii.* conditis facetiis] *et facetiis.* illo ipso] *ipso illo.* re omni] *omni re.* 134. cum relicuis] *quum reliquis in rebus, tum.*

maxime tum solet enenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum aut seuerè, maledice contumeliøseque dicitur. 135. Habentur autem plerunque sermones aut de domesticis negotiis aut de republica aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, ut, etiamsi aberrare ad alia coeperit, ad haec reuocetur oratio. Set utcunque aderunt (neque enim omnes eisdem rebus nec omni tempore nec similiter delectamur), animaduertendum etiam, quatenus sermo delectationem habeat: et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit modus desinendi.

XXXVIII. 136. Set quomodo in omni uita rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios rationi non obtemperantis: sic eiusmodi motibus sermo debet uacare, ne aut ira exsistat aut cupiditas aliqua aut pigritia aut ignauia aut tale aliquid appareat. Maximeque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferemus, et uereri et diligere uideamur. Obiurgationes nonnunquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse et uocis contentione maiore et uerborum grauitate acriore; id agendum etiam, ut ea facere uideamur irati. Set ut ad urendum et secandum, si nulla reperietur alia medicina: sic ad hoc genus castigandi raro inuitique uenimus, nec unquam, nisi necessario: set tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. 137. Magnam autem partem clementi castigatione licet uti, grauitate tamen adiuncta, ut et seueritas adhibeatur et contumelia repellatur. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est ipsius id causa, qui obiurgetur, esse susceptum. Rectum est etiam, in ipsis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam pellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter

XXXVII. 135. aderunt (neque enim — delectamur), animaduertendum] *aderunt: neque enim — delectamur. Animaduertendum.* etiam] *est etiam.* modus desinendi] *desinendi modus.* XXXVIII. 136. Obiurgationes] *Obiurgationes etiam.* secandum, si nulla — medicina: sic ad — necessario: set tamen] *secandum, sic ad — necessario, si nulla — medicina: sed tamen.* 137. est etiam] *est autem etiam.* ipsi] *illis.*

fieri possunt nec is, qui assunt, probari. Deforme etiam est, de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari Militem gloriosum.

XXXIX. 138. Et quoniam omnia persequimur (uolumus quidem certe), dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse: cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio et tamen adhibenda commoditatis dignitatisque diligentia. Cn. Octauio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum. Quae cum uolgo uiseretur, suffragata domino, nouo homini, ad consulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit; hic, summi et clarissimi uiri filius, in domum multiplicatam non repulsam solum retulit, set ignominiam etiam et calamitatem. 139. Ornanda enim domo est dignitas, non ex domo tota quaerenda; nec domo dominus, set domino domus honestanda est. Et ut in ceteris habenda ratio non sua solum, set etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cuiusque modi multitudo, adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino fit, si est in ea solitudo. Odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur: *quam dispari domino!* Quod quidem his temporibus in multis licet dicere. 140. Cauendum autem est, si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiosae enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi uiri, uirtutem quis? at quam multi uillarum magnificentiam sunt imitati! quarum quidem certe est adhibendus modus ad mediocritatemque reuocandus. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque uitae transferenda est. Set haec hactenus.

XXXIX. 139. enim domo est dignitas] *est enim dignitas domo. fit] saepe fit. solitudo] solitudo; et maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari. quam dispari domino] O domus antiqua, heu, quam dispari Dominare domino. 140. si] praesertim si. sunt imitati] imitati. hactenus] hactenus. 141. In omni autem actione suscipienda tria sunt*

XL. 142. Deinceps de ordine rerum et opportunitate temporum dicendum est. Haec autem scientia continentur ea, quam Graeci *ἐνταξίαν* nominant: non hanc, quam interpretamur modestiam, quo in uerbo modus inest; set illa est *ἐνταξία*, in qua intelligitur ordinis conseruatio. Itaque, ut eandem nos modestiam apellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum. Ita uidetur eadem uis ordinis et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis; locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt: tempus autem actionis opportunum Graece *ἐνκαιρία*, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. **143.** Set potest eadem esse definitio prudentiae, de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione et temperantia et harum similibus uirtutibus quaerimus, quae pertinent ad uerecundiam et ad eorum approbationem, quibuscum uiuimus. **144.** Talis igitur est ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione constanti, sic in uita omnia sint apta inter se et conuenientia. Turpe enim ualdeque uitiosum, in re seuera conuiui dicta aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem, poetam, ique de communi officio conuenissent et casu formosus puer praeteriret dixissetque Sophocles, „*O puerum pul-*

tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius; deinde, ut animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere uelimus, ut neue maior neue minor cura et opera suscipiatur, quam causa postulet. Tertium est, ut caveamus, ut ea, quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint. Modus autem est optinus decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium praestantissimum est appetitum obtemperare rationi. LX. 143. definitio prudentiae] prudentiae definitio. harum] earum. quaerimus] quaerimus. Itaque, quae erant prudentiae propria, suo loco dicta sunt: quae autem harum uirtutum, de quibus iam diu loquimur. uiuimus] uiuimus, nunc dicenda sunt. 144. igitur est] est igitur. enim] est enim. Sophoclem, poetam] Sophoclem.

chrum, Pericle! „*At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus, set etiam oculos abstinentis habere.*“ Atque Sophocles hoc idem si in athletarum probatione dixisset, iusta reprehensione caruisset. Ut, si quis, qui causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur; at hoc quidem si in conuiuio faciat, inhumanus uideatur incititia temporis. 145. Set ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut, si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna peruersitas, facile apparet nec magno opere admonitionem et praecepta desiderat. Quae autem parua uidentur delicta neque a multis intelligi possunt, ab is est diligentius declinandum. Ut in fidibus aut tibiis, quamnis paulum discrepent, tamen id a sciente animaduerti solet: sic uidendum est in uita, ne forte quid discrepet; uel multo etiam magis, quo maior et melior actionum, quam sonorum, concentus est.

XLI. 146. Itaque ut in fidibus musicorum aures uel minima sentiunt: sic nos, si acres ac diligentes esse uolumus, magna saepe intelligemus ex paruis. Ex oculorum obtutu, ex contractione aut remissione superciliorum, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex contentione uocis, ex summisione, ex ceteris similibus facile iudicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quidque eorum sit, ex aliis iudicare: ut, si quid dedeceat, uitemus ipsi. Fit enim nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quorum uitia imitantur emendandi causa magistri. 147. Nec uero alienum est, ad ea, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines uel etiam

XL. 144. Sophocles hoc idem] *hoc idem Sophocles.* caruisset] *caruisset.* *Tanta vis est et loci ac temporis.* quis, qui] *qui, quum.* quidem] *idem.* 145. quis] *qui.* apparet] *apparet.* desiderat] *desiderant.* XLI. 146. uolumus] *uolumus animaduersores uitiorum.* ex contractione aut remissione superciliorum] *ex superciliorum aut remissione aut contractione.* locutione] *locutione, ex reticentia.* ex summisione] *et summisione.* dedeceat] *dedeceat in illis.* 147. ea] *ea eligenda.*

usu peritos et, quid eis de quoque officii genere placeat, exquirere. Maior enim pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur. In quibus videndum est, non modo quid quisque loquatur, set etiam de qua causa. Ut enim pictores et i, qui signa fabricantur, et uero etiam poetae suum quisque opus a uolgo considerari nollt, ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur; ique et secum et ab aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda et non facienda et mutanda et corrigenda sunt. 148. Quae uero more agentur institutisque ciuilibus, de is nihil est praeciendum: illa enim ipsa sunt praecpta. Nec quenquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque ciuilem fecerint locutiuue sint, idem sibi arbitrentur licere. Magnis illi et diuinis bonis hanc licentiam assequabantur. Cynicorum uero ratio tota est efficienda: est enim inimica uerecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. 149. Eos autem, quorum uita perspecta in rebus honestis atque magnis est, bene de republica sentientis ac bene meritis aut merentis, sic, ut aliquo honore aut imperio affectos, obseruare et colere debemus; tribuere etiam multa senectuti; cedere is, qui magistratum habebunt; habere delectum ciuis et peregrini, in ipsoque peregrino, priuatimne, an publice uenerit; ad summam, ne agam de singulis, communem generis totius hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, seruare.

XLII. 150. Iam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, haec fere accepimus. Primum improbantur i quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum seruitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim uendant. Nihil enim proficiant, nisi admodum men-

XLI. 147. eis] iis. set etiam] sed etiam quid quisque sentiat atque etiam. de qua] qua de. causa] causa quisque sentiat. ab aliis] cum aliis. 148. sunt praecpta] praecpta sunt. arbitrentur] arbitretur. 149. generis totius] totius generis. seruare] seruare debemus.

frantur; nec uero est quicquam turpius uanitate. Opificesque omnes in sordida arte uersantur: nec quicquam ingenuum habere potest officina. Minimeque artes eae probandae, quae ministrae sunt uoluptatum,

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,
ut ait Terentius. Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. 151. Quibus autem artibus aut prudentia maior necessaria est aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eae sunt is, quorum ordini conueniunt, honestae. Mercatura autem, si tenuis est, sordida est putanda; sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine uanitate impertiens, non est admodum uituperanda. Atque etiam, si, satiata quaestu uel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, sic ex ipso se portu in agros possessionesque contulit, uidetur iure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. De qua quoniam in Catone Maiore satis multa diximus, illinc assumes, quae ad hunc locum pertinebunt.

XLIII. 152. Set ab is partibus, quae sunt honestatis, quemadmodum officia ducerentur, satis expositum uidetur. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio et comparatio, de duobus honestis utrum honestius: qui locus a Panaetio est praetermissus. Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta inoderationis: haec in deligendo officio saepe inter se comparentur, necesse est. 153. Placet igitur, aptiora naturae esse ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur. Idque hoc argumento confirmari potest: Si contigerit ea uita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis quamuis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur: tamen, solitudo si tanta sit, ut hominem

XLII. 150. nec] *nec enim.* Minimeque] *Minimaeque.*
151. necessaria est] *inest.* est putanda] *putanda est.* sic ex] *ex.* se portu] *portu se.* XLIII. 152. haec in] *eae in.* naturae esse] *esse naturae.* 153. Si] *Quod si.*

uidere non possit, excedat e uita. Princepsque omnium uirtutum illa sapientia, quam σοφία Graeci uocant (prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia), illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est diuinarum et humanarum scientia: in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Ea si maxima est, ut est: certe necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio contemplatioque naturae manca quodammodo atque incohata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur; pertinet igitur ad societatem generis humani: ergo haec cognitioni anteponenda est. 154. Atque id optimus quisque reapse ostendit et iudicat. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subuenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiiciat, etiamsi dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit. 155. Quibus rebus intelligitur, studiis officiisque scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum caritatem: qua nihil homini debet esse antiquius.

XLIV. Atque illi ipsi, quorum studia uitaque omnis in rerum cognitione uersata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam et erudiuerunt multos, quo meliores ciues utilioresque rebus suis publicis essent: ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracusium Dionem Plato multique multos: nosque ipsi, quicquid ad rempublicam attulimus (si modo aliquid attulimus), a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus. 156. Neque solum uiui ac praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent, set hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assecuntur. Nec enim locus ullus est praetermissus ab is, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam reipublicae pertineret: ut

XLIII. 153. et humanarum] atque humanarum. 155. debet esse] esse debet. XLIV. illi ipsi] illi. 156. ac praesentes] atque praesentes.

otium enim ad nostrum negotium contulisse videantur. Ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam prudentiam intelligentiamque potissimum conferunt. Ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam uel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa uertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate innecti sumus. 157. Atque ut apum examina non fingentorem fauorum causa congregantur, set, cum congregabilia natura sint, fingunt fauos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati adhibent agendi sollertiam. Itaque nisi ea uirtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solitaria cognitio et ieiuna uideatur. Ita fit, ut uincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. Nec uerum est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem uitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, iccirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem. Quodsi omnia nobis, quae ad uictum cultumque pertinent, quasi uirgula diuina, ut aiunt, suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret et socium studi quaereret; tum docere, tum discere uellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam ualet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur.

XLV. 159. Illud forsitan quaerendum sit, num haec communitas, quae maxime est apta naturae, ea sit moderationi modestiaeque semper anteponenda. Non placet. Sunt enim quaedam ita foeda partim, partim ita flagitiosa, ut ea ne conseruandae quidem patriae causa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, set ita taetra quaedam, ita obscoena, ut dictu quoque uideantur turpia. Haec igitur non suscipiet reipublicae causa; ne res quidem publica pro se suscipi uolet. Set

XLIV. 157. agendi] agendi cogitandique. uideatur] uideatur: itemque magnitudo animi, remota a communitate coniunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas. XLV. 159. ea sit] sit etiam. ita foeda partim] partim ita foeda. ne res quidem publica] ne res publica quidem.

hoc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut intersit reipublicae quicquam, illa facere sapientem.

160. Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. Atque haec quidem hactenus. Patet factus enim locus est ipse, ut non difficile sit, in exigendo officio, quod cuique sit praeposendum, uidere. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quod cuique praestet, intelligi possit: ut prima dis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim relicuis debeantur.

161. Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, non solum id homines solere dubitare, honestumne, an turpe sit, set etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius. Hic locus a Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus. Set iam ad relicua pergamus.

XLV. 59. quicquam, illa] *quidquam illorum*, 160. societate] *societate*. *Etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio: ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter.* officio, quod] *officio, quid*. quibus, quod] *quibus, quid*.

LIBER SECUNDUS.

I. 1. **Q**uemadmodum officia dicerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere uirtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur, ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad uitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultates, ut ad opes, ad copias: in quo tum dixi quaeri, quid utile, quid inutile. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto ac iudicio meo dixerō. 2. Quanquam enim nostri libri compluribus non modo ad legendi, set etiam ad scribendi studium excitauerunt, tamen interdum ueveor, ne quibusdam bonis uiris philosophiae nomen sit inuisum inirenturque, me in ea tantum operae et temporis ponere. Ego autem, quandiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnis meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus; socios denique tuendae reipublicae, summos uiros, amissem: nec me angoribus dedidi (quibus essem confectus, nisi is restitisset) nec rursus indignis homine docto uoluptatibus. 3. Atque utinam respublica stetisset, quo coeperat statu, nec in homines non tam commutandarum, quam euertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante respublica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operae poneremus; deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, set actiones nostras mandarem, ut saepe fecimus. Cum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio,

I. 1. facultates] facultatem. ut ad] ad. in quo tum dixi quaeri, quid utile, quid inutile] [In quo tum quaeri dixi, quid utile, quid inutile; tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile.] iudicio] de iudicio. 2. nostri libri] libri nostri. me in ea tantum] in ea tantum me.

opera poni solebat, nulla esset omnino: illae conticuerunt. 4. In studiis autem ab initio uersatus aetatis existimaui honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adolescens discendi causa temporis tribuissem: posteaquam honoribus inseruire coepi meque totum reipublicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat temporis in reipublicae tempore. Id autem omne consumebatur in legendo; scribendi otium non erat.

II. 5. In malis igitur maximis hoc tamen boni assecuti uidemur, ut ea litteris mandaremus, quae nec erant satis nota nostris et erant cognitione dignissima. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia? quid praestantius? quid melius? homine quid dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur; nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari uelis, praeter studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a ueteribus definitum est, rerum diuinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia. Cuius studium qui uituperat, haut sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. 6. Nam siue oblectatio quaeritur animi requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et ualeat ad beate uiuendum? siue ratio constantiae uirtutisque ducitur: aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam, dicere, maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina uirtutis, ubi ea quaeretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Set haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari non solent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbatu reipublicae

I. 3. illae] *illae scilicet litterae.* conticuerunt] *conticuerunt forenses et senatoriae.* 4. In studiis autem] *Nihil agere autem quum animus non posset, in his studiis.* temporis in reipublicae tempore] *amicorum et rei publicae temporibus.* II. 5. In malis igitur maximis] *Maximis igitur in malis, enim est] est enim.* melius] *homini melius.* homine quid] *quid homine.* ueteribus] *veteribus philosophis.* 6. beate] *bene beateque.* non solent] *solent.*

muneribus ad hoc nos studium potissimum contulisse-
 mus. 7. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis
 et eruditis, quaeventibus, satise constanter facere uideamur,
 qui cum percipi nihil posse dicamus, tamen et aliis de rebus
 disserere soleamus et hoc ipso tempore praecepta officii
 persequamur. Quibus uellem satis cognita esset nostra
 sententia. Non enim sumus i, quorum uagetur animus errore
 nec habeat unquam, quid sequatur. Quae enim esset
 ista mens uel quae uita potius, non modo disputandi,
 set etiam uiuendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri
 alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab eis dissentientes
 alia probabilia, contra alia dicimus. 8. Quid est igitur,
 quod me impediatur ea, quae probabilia mihi uideantur,
 sequi; quae contra, improbare atque affirmandi arrogantiam
 uitantem fugere temeritatem, quae a sapientia dissi-
 det plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris,
 quod hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi ex utraque
 parte causarum esset facta contentio. Set explanata sunt
 in Academicis nostris satis, ut arbitrator, diligenter.
 Tibi autem, mi Cicero, quanquam in anti-
 quissima nobilissimaque philosophia, Cratippo auctore,
 uersaris, is simillimo, qui ista praeclara pepererunt;
 tamen haec nostra, finitima uestris, ignota esse nolui.
 Set iam ad instituta pergamus.

III. 9. Quinque igitur rationibus propositis officii
 persequendi, quarum duae ad decus honestatemque per-
 tinerent, duae ad commoda uitae, copias, opes, id est,
 facultates, quinta ad eligendi iudicium, si quando ea,
 quae dixi, pugnare inter se uiderentur: honestatis pars
 confecta est, quam quidem tibi cupio esse notissimam.
 Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod
 utile appellatur. In quo uerbo lapsa consuetudo de-
 flexit de uia sensimque eo deducta est, ut honestatem
 ab utilitate secernens constitueret esse honestum ali-
 quid, quod utile non esset, et utile, quod non honestum:
 qua nulla pernicietas uitae hominum potuit afferri maior.
 10. Summa quidem auctoritate philosophi, seuerè sane
 atque honeste, haec tria, genere confusa, cogitatione

II. 7. eis] *his*. 8. posset] *possit*. III. 9. id est, facultates] *facultates*. uitae hominum] *maior hominum uitae*. afferri maior] *afferri*.

distinguunt. Quicquid enim iustum sit, id etiam utile esse consent; itemque, quod honestum, idem iustum: ex quo efficitur, ut, quicquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, i saepe, versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicant. Quorum error eripiendus est opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis iustisque factis, non fraude et malitia, se intelligant ea, quae uelint, consequi posse. 11. Quae ergo ad uitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e terra, ut alia generis eiusdem; partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem rationis expertia sunt alia, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boues, relicuae pecudes. Ratione autem utentium duo genera ponunt: deorum unum, alterum hominum. 12. Earumque item rerum, quae nocent et obsint, eadem diuisio est. Sed quia deos nocere non putant, is exceptis, homines hominibus obesse plurimum arbitrantur. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas. Proxime autem et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt. Ea enim ipsa, quae inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta: quae nec haberemus, nisi manus et ars accessisset, nec eis sine hominum administratione uteremur. Neque enim ualitudinis curatio nec nauigatio nec agri cultura nec frugum fructuumque relicuorum perceptio et conseruatio sine hominum opera ulla esse potuisset. 13. Iam uero et earum rerum, quibus abundarem, exportatio et earum, quibus egeremus, inuectio certe nulla esset, nisi is muneribus homines fungerentur.

III. 11. autem] autem alia. sunt alia] sunt. pecudes] pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad usum hominum atque uitam. hominum. 12. Earumque item — is exceptis — arbitrantur. Deos placatos — esse possunt. Ea enim] hominum. Deos placatos — esse possunt. 12. Earumque item — his exceptis — arbitrantur. Ea enim. — eis] iis. nec nauigatio nec — nec] neque nauigatio neque — neque. 13. is] his. fungerentur] fungerentur. Eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad usum nostrum necessarii, nec ferrum, aes, argentum, aurum effoderetur penitus abditum sine hominum labore et manu.

IV. Tecta uero, quibus et frigorum uis pelleretur et calorum molestiae sedarentur, unde aut initio humano generi dari potuissent aut postea subueniri, si aut ui tempestatis aut terrae motu aut uetustate cecidissent, nisi communis uita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? 14. Adde ductus aquarum, deriuationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos. Ex quibus multisque aliis perspicuum est rebus, qui fructus quaeque utilitates ex is, quae sint inanima, percipiuntur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus aut quae commoditas, nisi homines adiunarent, percipi posset? Nam et qui principes inueniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt, nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas aut domare aut tueri aut tempestiuos fructus ex is capere possemus: ab eisdemque et eae, quae nocent, interficiuntur et, quae usui possunt esse, capiuntur. 15. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus uita omnino nulla esse potuisset? Qui enim aegris subueniretur, quae esset oblectatio ualentium, qui uictus aut cultus, nisi tam multa nobis artes ministrarent, quibus exulta hominum uita tantum distat a bestiarum? Urbes uero sine hominum coetu non potuissent nec aedificari nec frequentari: ex quo leges moresque constituti, tum iuris aequa descriptio certaue uiuendi disciplina. Quas res et mansuetudo animorum consecuta et uerecundia est effectumque, ut esset uita munitior atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus.

V. 16. Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. Quis enim est, cui non perspicua sint illa, quae pluribus uerbis a Panaetio commemorantur, neminem neque duces belli nec principem domi magnas res et salutaris sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Age-

IV. 13. humano generi] generi humano. 14. factos] factos: quae unde sine hominum opere habere possemus. est rebus] est. is] rebus iis. sint] sunt. inanima] inanimas. 15. Qui enim] Quid enim. subueniretur] subueniret. multa] multae. quibus] quibus rebus. bestiarum] victu et cultu bestiarum. V. 16. enim est] est enim.

sitas, Alexander, quos negat sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse. Utitur in re non dubia testibus non necessariis. Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi, qui, colligatis ceteris causis, eluionis, pestilentiae, vastitatis, beluarum etiam repentinae multitudinis (quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta), deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est, bellis aut seditionibus, quam omni relicua calamitate. 17. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et pro-sint et obsint, primum et hoc statuo esse, conciliare animos hominum, et ad usus suos adiungere. Itaque, quae in rebus inanimis quaeque in usu et tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum uitam, artibus ea tribuuntur operosis; hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata.

VI. 19. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur ea-que teneamus, dicemus, neque ita multo post; set pauca ante dicenda sunt. Magnam uim esse in fortuna in utranque partem, uel secundas ad res uel aduersas, quis ignorat? Nam et, cum prospero flatu eius utimur, ad exitus peruehimur optatos et, cum res flauit, affligimur. Haec igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet;

V. 16, colligatis] collectis. 17. primum] proprium. et hoc] hoc. esse] esse uirtutis. parata] parata uirorum praestantium sapientia et uirtute exultantur. 18. Etenim uirtus omnis tribus in rebus fere uertitur, quarum una est in perspicendo, quid in quaque re uerum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit: alterum cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πύδη nominant, appetitionesque, quas illi ὀρμύς, obediens efficere rationi: tertium iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena afficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur.

primum ab inanibus procellis, tempestates, naufragia, ruinas, incendia; deinde a bestiis ictus, morsus, impetus. Haec ergo, ut dixi, rariora. 20. At uero iaculatus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum; clades imperatorum, ut nuper summi et singularis uiri; insidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meritorum saepe cinium expulsionem, calamitates, fugae; rursusque secundae res, honores, imperia, uictoriae, quanquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. Hoc igitur cognito dicendum est, quoniam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparatur: ita fortasse etiam breuior uidebitur. 21. Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut beneuolentiae gratia faciunt, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris, si cuius uirtutem suspiciunt quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent et bene rebus suis consulere arbitrantur, aut cuius opes metuunt, aut cum aliquid expectant, ut cum reges popularesque homines largitiones aliquas proponunt; aut postremo pretio ac mercede ducuntur. Quae sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima et is, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur (22. male enim se res habet, cum, quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia); set quoniam nonnunquam hoc subsidium necessarium est, quemadmodum sit utendum eo, dicemus, si prius de is rebus, quae uirtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subiiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Ducuntur autem aut beneuolentia aut beneficiorum magnitudine aut dignitatis praestantia aut spe, sibi id utile futurum, aut metu, ne ui parere cogantur, aut spe largitionis promissisque capti, aut postremo, ut saepe in nostra republica uidemus, mercede conducti.

VII. 23. Omnium autem rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas, quam diligere, nec alienius, quam timere. Praeclare enim Ennius:

Quem metuunt, odere; quem quisque odit, porri se expetit.

VI. 21. aut cum] aut contra, a quibus. 22. de is] is de. autem aut] enim aut.

Multorum autem odiis nullas opes posse consistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec nero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit ciuitas paretque cum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum ualeat ad pestem: set reliquorum similes exitus tyrannorum, quorum haec fere quisquam interitum effugit. Malus enim custos diuturnitatis metus: contraque beneuolentia fidelis uel ad perpetuitatem. 24. Set is, qui ui oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saeuitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt. Qui uero in libera ciuitate ita se instruunt, ut metuantur, is nihil potest esse dementius. Quamuis enim sint demersae leges alicuius opibus, quamuis timefacta libertas, emergunt tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae. Quod igitur latissime patet neque ad incolumitatem solum, set etiam ad opes et potentiam ualet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime, quae uolumus, et priuatis in rebus et in republica consequemur. Etenim qui se metui uolent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi, necesse est. 25. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium quo cruciatu timoris angilatum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone adurebat capillum? quid Alexandrum Pheraeum quo animo uixisse arbitramur, qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen, ad eam ex epulis in cubiculum ueniens, barbarum, et eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Thraciis, destricto gladio iubebat anteire praemittebatque de stipulatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebris et, ne quod in uestimentis telum occultaretur, exquirent. O miserum, qui fidiorem et barbarum et stigmatiam putaret, quam coniugem! Nec eum sefellit. Ab ea est enim ipsa propter pellicatus suspicionem interfectus. Nec uero ulla uis imperi tanta est, quae premente metu possit esse diuturna. 26. Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex insi-

VII. 23. ualeat] *ualet.* interitum] *interitum [talem].*
 enim] *enim est.* 25. adurebat] *sibi adurebat.*

diis interiiit, ut is, quem modo dixi, Alexander; non a paucis, ut hic noster; set in quem uniuersa Agrigentinorum multitudo impetam fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt uniuersique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedaemonios, iniuste imperantis, nonne repente omnes fere socii deseruerunt spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis?

VIII. Externa libentius in tali re, quam domestica; recordor. Uerumtamen quandiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis: bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur; exitus erant bellorum aut inites aut necessarii; regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus; 27. nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si prouincias, si socios aequitate et fide defendissent. Itaque illud patrociniū orbis terrae uerius, quam imperium, poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post uero Syllae uictoriam penitus amissimus: desitum est enim uideri quicquam in socios inimicū, cum exstitisset in ciuis tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta uictoria. Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro uenderet et bonorum uirorum et locupletium et certe ciuium, *praedam se suam uendere*. Secutus est, qui in causa impia, uictoria etiam foediore, non singulorum ciuium bona publicaret, set uniuersas prouincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. 28. Itaque uexatis ac perditis exteris nationibus ad exemplum amissi imperi portari in triumpho Massiliam uidimus et ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis triumphauerunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quicquam uidisset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum impunita esse scelera tum sissemus, nunquam ad unum tanta peruenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupid-

VIII. 28. Transalpinis] *Transalpinis bellis.* triumphauerant] *triumphauerunt.* 28. sol quicquam] *quidquam sol.* impunita esse] *impunita.* tum sissemus] *tulissemus.*

tatum multos ad improbos uenit hereditas. 29. Nec uero unquam bellorum semen et causa deerit, dum homines perditii hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt: quam P. Sylla cum uibrasset dictatore propinquo suo, sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta idem non recessit; alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus praemiis propositis nunquam defutura bella ciuilia. Itaque parietes modo urbis stant et manent, ique ipsi iam extrema scelera metuentes; rem uero publicam penitus amisimus. Atque in haec clades incidimus (redeundum est enim ad propositum), dum metui, quam cari esse et diligi, maluimus. Quae si populo Romano, iniuste imperanti, accidere potuerunt, quid debent putare singuli? Quod cum perspicuum sit, beneuolentiae uim esse magnam, metus imbecillam, sequitur, ut disseramus, quibus rebus facillime possimus eam, quam uolumus, adipisci cum honore et fide caritatem. 30. Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cuiusque uitam institutam accommodandam est, a multisne opus sit, an satis sit, a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum et nostra mirantium. Haec enim est una res prorsus, ut non differat inter summas et mediocris uiros.

IX. 31. Sed de amicitia alio libro dictum est. Nunc dicamus de gloria: quanquam ea quoque de re duo sunt nostri libri; sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus administrandis adiuuat plurimum. Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo; si fidem habet; si cum admiratione quadam honore dignos putat. Haec autem (si est simpliciter breuiterque dicendum) quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius

VIII. 28. multos ad] *ad multos.* 29. bellorum] *bellorum ciuilium.* sexto] *idem sexto.* hasta idem] *hasta.* maluimus] *malumus.* 30. differat] *multum differat.* uiros] *uiros, eaque utrisque est propemodum comparanda.* 31. Honore et gloria et beneuolentia ciuium fortasse non aequae omnes egent; sed tamen, si cui haec suppetunt, adiuuant aliquantum quum ad cetera, tum ad amicitias comparandas. IX. 31. est] *est, qui inscribitur Laelius.*

quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in animos uniuersorum tanquam influere possimus. 32. Ac primum de illis tribus, quae ante dixi, beneuolentiae praecepta uideamus: quae quidem capitur beneficiis maxime; secundo autem loco uoluntate benefica beneuolentia mouetur, etiamsi res forte non suppetit. Uehementer autem amor multitudinis commouetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei omniumque earum uirtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum et ad facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet animosque omnium natura et specie sua commouet maximeque quasi perlucet ex is, quas commemorauimus, uirtutibus: iccirco illos, in quibus eas uirtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hae quidem causae diligendi grauissimae: possunt enim nonnullae praeterea esse leuiores. 33. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti coniunctam cum iustitia prudentiam. Nam et is fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur quosque et futura prospicere credimus et, cum res agatur in discrimenque uentum sit, expedire rem et consilium ex tempore capere posse: hanc enim utilem homines existimant ueramque prudentiam. Iustis autem et fidis hominibus, id est, uiris bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in is fraudis iniuriaequae suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. 34. Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine iustitia nihil ualeat ad faciendam fidem. Quo enim quis uersutior et callidior, hoc inuisior et suspectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem *intelligentiae iustitia coniuncta quantum uolet habebit ad faciendam fidem uirium; iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil ualebit prudentia.*

X. 35. Set ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnis philosophos constet a neque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnis habere uirtutes, nunc

IX. 31. animos uniuersorum] *uniuersorum animos.* 32. ex is] *ex eis.* nonnullae praeterea] *praeterea nonnullae.* 33. uiris bonis] *bonis uiris.*

ita se iungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse: alia est illa, cum ueritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut uolgens, ita nos hoc loco loquimur, ut alios uiros bonos, alios prudentis esse dicamus. Popularibus enim uerbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panaetius. Set ad propositum reuertamur. 36. Erat igitur ex his tribus, quae ad gloriam pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab his digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animaduertunt; separatim autem in singulis, si perspicunt necopinata quaedam bona. Itaque eos uiros suspiciunt maximisque eferunt laudibus, in quibus existimant excellentis quasdam et singularis uirtutes; despiciunt autem eos et condemnant, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorum putant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, id est, ad faciendam iniuriam instructos, eos contemnunt. Set, ut ante dixi, condemnantur i, qui nec sibi nec alteri, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. 37. Admiratione autem afficiuntur i, qui anteire ceteros uirtute putantur et cum omni carere dedecore, tum uero is uitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam et uoluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos a uirtute detorquent et, dolorum cum admouentur faces, praeter modum plerique exterrentur. Uita, mors, diuitiae, paupertas omnis homines uehementissime permoent. Quae qui in utraque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua is ampla et honesta res obiecta totos ad se conuertit et rapit: tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque uirtutis?

X. 35. loquimur, ut] loquimur, ut alios fortes. 36. his tribus] tribus. existimant] existimant se. uirtutes] perspicere uirtutes. condemnant] contemnunt. putant] putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. 36. id est] et. contemnunt. Set, ut] contemnunt quidem neutiquam, sed de his male existimant. Quamobrem, ut. condemnantur] contemnuntur. 37. ceteros] ceteris. obiecta totos] obiecta est, totos.

XI. 38. Ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit et maxime iustitia, ex qua una virtute uiri boni appellantur, mirifica quaedam multitudini nidetur: nec iniuria. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet aut qui ea, quae sunt his contraria, aequitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non mouetur: quod in quo uiro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. Itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia iustitia conficit: et beneuolentiam, quod prodesse uult plurimis, et, ob eandem causam, fidem et admirationem, quod eas res spernit et negligit, ad quas plerique inflammata auiditate rapiuntur. 39. Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio uitae adiumenta hominum desiderat: quod est difficile, nisi speciem prae te boni uiri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro uitam agenti opinio iustitiae necessaria est, eoque etiam magis, quod, eam si non habebunt iniustique habebuntur, nullis praesidiis saepti multis afficientur iniuriis. 40. Isque etiam, qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est: cuius tanta uis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae uiuere. Nam qui eorum cuiquam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas obseruent. Itaque propter aequabilem praedae partitionem et Bardylis, Illyrius latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit et multo maiores Uirriathus Lusitanus, cui quidem exercitus nostri imperatoresque cesserunt: quem C. Laelius, is, qui Sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut facile bellum relicuis traderet. Cum igitur tanta uis iustitiae sit, ut ea etiam latronum

XI. 39. desiderat] *desiderat, in primisque, ut habeat, quibuscum possit familiares conferre sermones.* iniustis] *iniustique.* nullis] *et, nullis.* 40. Isque] *Atque tis.* quidem] *quidem etiam.*

opes firmet atque augeat: quantam eius uim inter leges et iudicia et in constituta republica fore putamus?

XII. 41. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, set etiam apud maiores nostros iustitiae fruendae causa uidentur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab is, qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant uirtute praestantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituta summos cum infimis pari iure retinebat. Eademque fuit legum causa, quae regum. 42. Ius enim semper est aequabile quaesitum: neque enim aliter esset ius. Id si ab uno iusto et bono uiro consequerentur, erant eo contenti; cum id minus contingeret, leges sunt inuentae, quae cum omnibus semper eadem uoce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. Omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, cum ipsa per sese (nam aliter iustitia non esset), tum propter amplificationem honoris et gloriae. Set ut pecuniae non quaerendae ratio est solum, etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, set etiam liberalis: sic gloria et quaerenda et collocanda ratione est. 43. Quanquam praeclare Socrates hanc uiam ad gloriam proximam et quasi compendiarum dicebat, si quis id ageret, ut, qualis haberi uellet, talis esset. Quodsi qui simulatione inani et ostentatione et ficto non modo sermone, set etiam uultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, uehementer errant. Uera gloria radices agit atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utranque partem; set breuitatis causa familia contenti erimus una. Ti. enim Gracchus, P. F., tandiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum

XII. 41. constituta] *constituenda*. fuit legum] *constituentiarum legum fuit*. 42. aequabile quaesitum] *quaesitum aequabile*. eadem] *una atque eadem*. multitudinis] *multitudinis*. Adiuuncto uero, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines iis auctoribus non posse consequi se arbitrentur. ratio est solum] *salum ratio est*. etiam] *verum etiam*. 43. inani et] *et inani*.

manebit; at eius filii nec uini probabantur bonis et mortui numerum obtinent iure caesorum.

XIII. Qui igitur adipisci ueram gloriam uolet, iustitiae fungatur officiis. Ea quae essent, dictum est in libro superiore. 44. Set ut facillime, quales sumus, tales uideamur esse, etsi in eo ipso nis maxima est, ut simus i, qui haberi uelimus, tamen quaedam praecepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu atque fortuna, in hunc oculi omnium coniciuntur atque in eam, quid agat, quemadmodum uiuat, inquiritur et, tanquam in clarissima luce uersetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse nec factum. 45. Quorum autem prima aetas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione uersatur, i simulac iuuenes esse coeperunt, magna spectare atque ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non inuidetur illi aetati, uerum etiam fauetur. Prima est igitur commendatio adolescenti ad gloriam, si quae ex bellicis rebus comparari potest, in qua multi apud maiores nostros existerunt: semper enim fere bella gerebantur. Tua autem aetas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompeius alae alteri praefecisset, magnam laudem et a summo uiro et ab exercitu conseqebare equitando, iaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum re publica cecidit. Mihi autem haec oratio suscepta non de te est, set de genere toto. Quamobrem pergamus ad ea, quae restant. 46. Ut igitur in rebus relicuis multo maiora opera sunt animi, quam corporis: sic eae res, quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt, quam illae, quas uiribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in parentis, in suos beneuolentia. Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros

XIII. 44. quales sumus] *quales simus.* uideamur esse] *esse uideamur.* 45. atque ad] *et ad.* commendatio adolescenti] *adolescenti commendatio.* si quae] *si qua.* 46. rebus relicuis] *reliquis rebus.*

et sapientis uiros; bene consulentis reipublicae, contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum se fore similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. 47. P. Rutili adolescentiam ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae P. Muci commendauit domus. Nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, set sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa: et, qua aetate qui exercentur, laude affici solent, ut Demosthenem accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiamtum poterat domi cum laude meditari.

XIV. 48. Set cum duplex ratio sit orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis maiorem nim habeat ad gloriam (ea est enim, quam eloquentiam dicimus); set tamen difficile dictu est, quanto opere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis. Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum, filium, trium prudentissimorum (sic enim accepimus), quibus praecipunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant militesque blande appellando deleant. Quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe uniuersam excitat. Magna enim est admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam et sapere plus, quam ceteros, arbitrantur. Si uero inest in oratione mixta modestiae grauitas, nihil admirabilius potest fieri: eoque magis, si ea sunt in adolescente. 40. Set cum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra republica adolescentes et apud iudices et apud populum et apud senatum dicendo laudem assecuti sint: maxima est admiratio in iudiciis, quorum ratio duplex. Nam ex accusatione et ex defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam

XIII. 46. se fore] *fore se.* XIV. 48. enim est] *est enim.* potest fieri] *fieri potest.* 49. iudices et apud populum] *iudices.* duplex] *duplex est.* et, ex] *et.* tamen] *tamen etiam.*

P. Sulpici eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit. 50. Sed hoc quidem non est saepe faciendum nec unquam, nisi aut reipublicae causa, ut i, quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinandis, ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. In accusando etiam M. Aquillio L. Fufi cognita industria est. Semel igitur aut non saepe certe. Sin erit, cur faciendum sit saepius, reipublicae tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulcisci saepius, non est reprehendum: modus tamen assit. Duri enim hominis vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis peritus fuit. 51. Atque etiam hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem capitis arcessas: id enim in scelere modo fieri potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere. Uolt hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est, semper in causis verum sequi; patroni, nonnunquam verisimile, etiamsi minus sit verum, defendere: quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non audebam, nisi idem placeret grauissimo Stoicorum Panaetio. Maxime autem ipsa et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, ut ei subueniatur; qui potentis alicuius opibus circumueniri urgerique videatur: ut nos et saepe alias et adolescentes contra L. Syllae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus: quae, ut scis, exstat oratio.

XV. 52. Sed expositis adolescentium officiis, quae valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia vel liberalitate dicendum est. Cuius est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus

XIV. 50. patrocinandis] *patrociniis*. cur] *cui*. 51. capitis] *iudicio capitis*. enim in] *enim sine*. modo fieri] *fieri nullo pacto*. ipsa et] *et*. XV. 52. uel] *ac de*.

aut pecunia. Facilior est haec, locupletis praesertim; set illa

Latioꝛ, splendidioꝛ, dignioꝛ uiro forti clarioꝛue.

Quanquam enim in utroque inest gratificandi liberalis uoluntas, tamen altera ex arca, altera ex uirtute depromitur largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in pluris usus sis, eo minus in multos uti possis. 53. At qui opera, id est, uirtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo pluris ad benigne faciendum adiutores habebunt; dein consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tanquam exercitiores ad bene de multis promerendum. Praeclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione beneuolentiam Macedonum consecetur. *Quae te, malum!* inquit, *ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fidelis putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, set ministrum et praebitorem sperent fore?* Bene ministrum et praebitorem, quia sordidum regi; melius etiam, quod largitionem *corruptelam* dixit esse. Fit enim deterior, qui accepit, atque ad idem semper expectandum paratior. 54. Hoc ille filio; set praeceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quae constet ex opera et industria, et honestior sit et latius pateat, ut possit prodesse pluribus. Nonnunquam tamen est largiendum nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum: et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari imperiendum; set diligenter atque moderate. Multi enim patrimonia escuderunt inconsulte largiendo. Quid autem est stultius, quam, quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam secuntur largitionem rapinae. Cum enim dando egere coeperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita cum beneuolentiae comparandae causa benefici esse uelint, non tanta studia assecuntur eorum, quibus dederunt, quanta

XV. 52. haec] *haec posterior.* Latior] *latioꝛ.* splendidior] *ac splendidioꝛ.* dignior] *et.* clarioꝛue] *clarioꝛue dignioꝛ.*
 53. dein] *deinde.* epistola] *in epistola.* accepit] *accipit.*
 54. ut] *et.*

odia eorum, quibus ademerunt. 55. Quamobrem nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda; ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus saepissime usurpatum iam in prouerbi consuetudinem uenit, *largitionem fundum non habere*. Etenim quis potest modus esse, cum et idem, qui consuerunt, et idem illud alii desiderent?

XVI. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis et uiscerationibus et gladiatoriiis muneribus, ludorum uenationumque apparatu pecunias profundunt: rebus, quarum memoriam aut breuem aut nullam omnino sint relicturi. 56. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt aut aes alienum suscipiunt amicorum aut in filiarum collocatione adiuuant aut opitulantur in re uel quaerenda uel augenda. Itaque miror, quid in mentem uenerit Theophrasto in eo libro, quem *de diuitiis* scripsit: in quo multa praecclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum, taliumque sumptuum facultatem fructum diuitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo et maior uidetur et certior. Quanto Aristo Cens grauius et uerius reprehendit, qui has ecfusiones non admirentur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam! *At i, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium cogantur mina, hoc primo auditu incredibile nobis uideri omnisque mirari; set cum attenderint, ueniam necessitati dare: in his immanibus iacturis infinitisque sumptibus nihil nos magno opere mirari, cum neque necessitati subueniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breue exiguumque tempus*. 57. Bene etiam colligit, *haec pueris et mulierculis et seruis et ser-*

XVI. 55. gladiatorii] gladiatorum. rebus] in eas res.
 56. Aristo Cens] Aristoteles. reprehendit] nos reprehendit.
 ecfusiones] pecuniarum effusiones. admirentur] admiremur.
 cum neque] quem praesertim neque. tempus] tempus, eaque
 a leuissimo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis.

uorum simillimis liberis esse grata; graui uero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti probari posse nullo modo. Quanquam intelligo, in nostra ciuitate inueterasse, et iam bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis uiris postuletur. Itaque et P. Crassus, cum cognomine diues, tum copiis, functus est aedilicio maximo munere et paulo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio magnificentissime aedilitate functus est; deinde C. Claudius, Appi filius; multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnis autem P. Lentulus, me consule, uicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima uero nostri Pompeii munera secundo consulatu. In quibus omnibus quid mihi placeat, uides.

XVII. 58. *Uitanda tamen suspicio auaritiae. Mamercus, homini diuitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus attulit repulsam. Quare et, si postulatur a populo, bonis uiris, si non desiderantibus, attamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus, et, si quando aliqua res maior populari largitione anquiritur, ut Crassi nuper per prandia in semitis decumae nomine. Ne M. quidem Seio id uitio datum est, cum in caritate asse modium populo dedit. Magna enim se et inueterata inuidia nec turpi iactura nec maxima liberauit. Sed honori summo nuper iactura Miloni fuit, qui quidem gladiatoribus emptis reipublicae causa, quae salute nostra continebatur, omnis P. Clodi conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est aut utile.* 59. *In his autem ipsis mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus, Q. F., magno uir ingenio in primisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere esse adeptum omnia, quae habentur amplissima. Dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoque licet in hoc quo-*

XVII. 57. *et iam] iam. magnificentissime] magnificentissima. 58. suspicio] suspicio est. attulit repulsam] repulsam attulit. maior] maior atque utilior. anquiritur] acquiritur. Crassi] Oresti. per prandia] prandia. nomine] nomine magno honori fuerunt. id uitio] uitio. cum] quod. caritate] caritate annonae. iactura] iactura, quando erat aedilis. iactura] nostro. qui quidem] qui. 59. esse adeptum] adeptum esse. habentur] haberentur.*

dammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno (quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi), sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. 60. Atque etiam illae impensae meliores, muri, naualia, portus, aquarum ductus omniaque, quae ad usum reipublicae pertinent. Quamquam, quod praesens tanquam in manum datur, iucundius est, tamen haec in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa uerecundius reprehendo propter Pompeium; set doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, quem multum his libris secutus sum, non interpretatus, et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, uituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit. Set de hoc genere toto in is libris, quos de republica scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere uitiosa est, temporibus necessaria est, et tum ipsum et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda.

XVIII. 61. In illo autem genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui res meliores quaerit, nullis suis rebus aduersis. 62. Propensior benignitas debet esse in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In is tamen, qui se adiunari uolent, non ne affligantur, set ut altiozem gradum ascendant, restricti omnino esse debemus et in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Bene facta, male locata, male facta arbitror.

63. Quod autem tributum bono uiro et grato est, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota gratissima est liberalitas, eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perflugium est omnium. Danda igitur opera est, ut is beneficiis quam plurimos afficiamus,

XVII. 60. tamen haec] *haec tamen.* his] *in his.* necessaria est] *necessaria.* tum ipsum] *tamen ipsa.* moderanda] *moderanda est.* XVIII. 61. genere] *altero genere.* debet esse] *esse debet.* 62. non ne] *non [ut] no.* debemus et] *nullo modo debemus: sed.* 63. bono uiro et grato est] *est bono uiro et grato.*

quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut is ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem benefici oderunt eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam reipublicae est utilis, redimi e seruitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem uolgo solitum fieri ab ordine nostro, in oratione Crassi scriptum copiose uidemus. Haec ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec grauium hominum atque magnorum; illa quasi assentatorum populi, multitudinis leuitatem uoluptate quasi titillantium. 64. Conueniet autem, cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum in omni re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, uicinitatibus et confinis, aecum, facilem, multa multis de suo iure cedentem, a litibus uero, quantum liceat et nescio an paulo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo iure decedere, set interdum etiam fructuosum. Habenda autem ratio est rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitium est; set ita, ut illiberalitatis auaritiaque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti non spoliante se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem uidetur, ualde decorum, patere domus hominum illustrium hospitibus: idque etiam reipublicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam uehementer utile is, qui honeste posse multum uolunt, per hospites apud externos populos ualere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, *Cimonem Athenis etiam in suos curialis Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse et uillicis imperauiisse, ut omnia praebentur, quicumque Laciades in uillam suam deuertisset.*

XIX. 65. Quae autem opera, non largitione, beneficia dantur, haec cum in uniuersam rempublicam, tum in singulos ciuis conferuntur. Nam in iure cauere, consilio iuuare atque hoc scientiae genere prodesse quam

XVIII. 63. Haec] *Haec est.* 64. Flagitium] *flagitiosum.*
hospitibus] *illustribus hospitibus.* XIX. 65. cum in] *tum in.*

plurimis, uehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. Itaque cum multa praeclara maiorum, tum, quod optime constituti iuris ciuili summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt; nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui omnis superiores, quibus honore par esset, scientia facile uicisset. Haec igitur opera grata multis et ad beneficiis obstringendos homines accommodata. 66. Atque huic arti finitima est facultas gratior, grauior, ornatior. Quid enim eloquentia praestabilius uel admiratione audientium uel spe indigentium uel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, multorum causas et non grauate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent. 67. Admonebat me res, ut hoc loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum, deplorarem, ni uererer, ne de me ipso aliquid uiderer queri. Sed tamen uidemus, quibus extinctis oratoribus quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Cum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut iuris periti esse aut diserti, licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus, magistratibus, uigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur aut defendunt, rogantem. Quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur latissimeque eorum manat industria. 68. Iam illud non sunt admonendi (est enim in promptu), ut animum aduertant, cum inuare alios uelint, ne quos offendant. Saepe enim aut eos laedunt, quos non debeant, aut eos, quos non expedit: si imprudentes, negligentiae est; si scientes, temeritatis. Utendum etiam est excusatione aduersus eos, quos inuitus offendas, quacunque possit, quare id, quod feceris, necesse fuerit

XIX. 66. facultas gratior] *dicendi grauior facultas. grauior] et gratior et. 67. hoc] hoc quoque. 68. debeant] debent.*

nec aliter facere potueris: ceterisque operis et officiis erit id, quod uiolatum uidebitur, compensandum.

XX. 69. Set cum in hominibus iuandis aut mores spectari aut fortuna soleat, dictu quidem est procliue, itaque uolgo locuntur, se in beneficiis collocandis mores hominis, non fortunam, sequi. Honesta oratio est. Set quis est tandem, qui inopis uel optimi uiri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior et celerior remuneratio fore uidetur, in eum fere est uoluntas nostra propensior. Set animaduertendum, quae sit natura rerum, diligentius. Nimirum enim inops ille, si bonus est uir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest. Commodè autem, quicumque dixit: *pecuniam qui habeat, non reddidisse; qui reddiderit, non habere: gratiam autem et, qui retulerit, habere et, qui habeat, retulisse.* At qui se locupletis, honoratos, beatos putant, i ne obligari quidem beneficio uolunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamuis magnum aliquod acceperint, atque etiam a se postulari aut exspectari aliquid suspicantur; patrocínio uero tuo se usos aut clientis appellari, mortis instar putant. 70. At uero ille tenuis, cum quid factum sit, se spectatum, non fortunam, putans, non modo illi, qui est meritis, set etiam illis, a quibus exspectat (eget enim multis), se gratum uideri studet: neque uerbis auget suum munus, si quo forte fungitur, set etiam extenuat. Quodsi opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut, si forte, in liberis eius manet gratia; sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles (quae magna in populo multitudo est) praesidium sibi partum uident. 71. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possimus; set si res in contentionem ueniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus,

XIX. 68. uidebitur] est. XX. 69. hominis] *hominum.* uel optimi] *et optimi.* quae sit natura rerum, diligentius] *est diligentius, quae natura rerum sit.* tuo se] *se.* 70. cum quid] *quum, quidquid.* putans] *putat.* se gratum] *gratum se.* neque] *neque uero.* Quodsi] *Videndumque illud est: quod si. partum] paratum.*

qui cum consuleretur, utrum uiro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret: *Ego uero*, inquit, *malo uirum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae uiro*. Sed corrupti mores deprauatique sunt admiratione diuitiarum. Quarum magnitudo quid ad unumquemque nostrum pertinet? Illum fortasse adiuuat, qui habet. Ne id quidem semper. Sed fac iuuare: utentior sane sit; honestior uero quomodo? Quodsi etiam bonus erit uir, ne impediant diuitiae, quominus iuuetur, modo ne adiuent; sitque omne iudicium non, quam locuples, set qualis quisque sit. Extremum autem praeceptum in beneficiis operaque danda, ne quid contra aequitatem contendas, ne quid pro iniuria. Fundamentum enim est perpetuae commendationis et famae iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

XXI. 72. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quae ad singulos spectant, deinceps de is, quae ad uniuersos quaeque ad rempublicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eiusmodi sunt, ut ad uniuersos ciuis pertineant, partim, singulos ut attingant, quae sunt etiam gratiora. Danda opera omnino, si possit, utrisque, nec minus singulis consulatur, set ita, ut ea res aut prosit aut certe ne obsit reipublicae. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octauii et reipublicae tolerabilis et plebi necessaria; ergo et ciuibus et reipublicae salutaris. 73. In primis autem uidendum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat neque de bonis priuatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret (quam tamen antiquari facile passus in eo uehementer se moderatum praebuit); set cum in agendo multa populariter, tum illud: *non esse in ciuitate duo milia hominum, qui rem haberent*. Capitalis oratio, ad aequationem bonorum pertinens: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tuerentur, respublicae ciuitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum

XXI. 72. opera] opera est. minus singulis] minus, ut etiam singulis. 73. in eo] est, et in eo. illud] illud male. ad] et ad. tuerentur] tenerent.

urbium praesidia quaerebant. 74. Danda etiam opera est, ne, quod apud maiores nostros saepe fiebat propter aerari tenuitatem assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum; idque ne eueniat, multo ante erit providendum. Sin quae necessitas huius muneris alicui reipublicae obuenerit (malo enim, quam nostrae, ominari; neque tantum de nostra, set de omni republica disputo), danda erit opera, ut omnes intelligant, si salui esse uelint, necessitati esse parendum. Atque etiam omnes, qui rempublicam gubernabunt, consulere debent, ut earum rerum copia sit, quae sunt ad uictum necessariae. Quarum qualis comparatio fieri debeat, non est necesse disputare: est enim in promptu; tantum locus attingendus fuit. 75. Caput autem est in omni procuratione negoti et muneris publici, ut auaritia pellatur etiam minima suspicio. *Utinam*, inquit C. Pontius Samnis, *ad illa tempora me fortuna reseruauisset et tum essem natus, si quando Romani dona accipere coepissent! non essem passus, diutius eos imperare.* Nae illi multa saecula exspectanda fuerunt! Modo enim hoc malum in hanc rempublicam inuasit. Itaque facile patior, tum potius Pontinum fuisse, si quidem in illo tantum fuit. Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset. At uero postea tot leges et proximae quaeque duriores, tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum, tanta, sublatis legibus et iudiciis, expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra uirtute, ualeamus.

XXII. 76. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? Set in illo alia maiora; laus abtinentiae non hominis est solum, set etiam temperum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus Paulus tantam in aerarium pecuniam inuexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam praeter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Karthagine euersa. Quid?

XXI. 74. ad uictum necessariae] necessariae. debeat] soleat et debeat. XXII. 76. potitus] potitus est. tantam] tantum. pecuniam] pecuniae.

qui eius collega in censura fuit, L. Mummius, nunquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quanquam, Italia ornata, domus ipsa mihi ornatio videtur. 77. Nullum igitur vitium tectius (ut eo, unde degressa est, referat se oratio), quam auaritia, praesertim in principibus, rempublicam gubernantibus. Habere enim quaestui rempublicam, non modo turpe est, set sceleratum etiam et nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, *Spartam nulli re alia, nisi auaritia, perituram*, id videtur non solum Lacedaemoniis, set etiam omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt i, qui reipublicae praesunt, quam abstinentia et continentia. 78. Qui vero se popularis uolunt ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, i labefactant fundamenta reipublicae: concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae; deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, ciuitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia. 79. Atque in hac pernicie reipublicae ne illam quidem consecuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est, est inimicus; cui data est, etiam dissimulat, se accipere uoluisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne uideatur non fuisse soluendo. At uero ille, qui accepit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem suum; nec, si plures sunt i, quibus improbe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, iccirco plus etiam ualent. Non enim numero haec iudicantur, set pondere. Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?

XXIII. 80. Ac propter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum ephorum expulerunt; Agin regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necauerunt:

XXII. 76. in censura fui] *fuit in censura.* oratio] *uidetur]* *uidetur oratio.* 77. tectius] *tectius est.* degressa] *egressa.* perituram] *esse perituram.* 79. accepit] *accipit.*

exque eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut et tyranni existerent et optimates exterminarentur et praeclearissime constituta respublica dilaberetur. Nec uero solum ipsa cecidit, set etiam relicuam Graeciam euerit contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profecta emanauerunt latius. Quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi, summi uiri, filios, Africani nepotes, nonne agrariae contentiones perdiderunt? 81. At uero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum eius ciuitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandestino introitu urbem est potitus, cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui locupletissimi fuerant eius ciuitatis, restituit remque publicam aduentu suo liberauit. Set cum magnam animaduerneret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et, eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere, iniquissimum arbitrabatur et, quinquaginta annorum possessione moueri, non nimis aecum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria: iudicauit, neque illis adimi nec is non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. 82. Cum is igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandream se proficisci uelle dixit remque integram ad reditum suum iussit esse; isque celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, uenit, qui tum regnabat alter post Alexandream conditam. Cui cum exposuisset, patriam se liberare uelle causamque docuisset, a rege opulento uir summus facile impetrauit, ut grandi pecunia adiuuaretur. Quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes (cum quibus causas cognouit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amiserant praefecitque aestimandis possessionibus), ut persuaderent aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum, ut omnes concordia constituta sine querela

XXIII. 80. profecta emanauerunt] *profectae manarunt.*
 81. urbem] *urbe.* possessione] *possessiones.* 82. Cum is]
Quum. praefecitque] *perfecitque.* persuaderent] *persuaderet.*
 perfectum] *perfectum est.*

discederent. 83. O uirum magnum dignumque, qui in republica natus esset! Sic par est agere cum ciuibus, non, ut bis iam uidimus, hastam in foro ponere et bona ciuium noci subicere praeconis. At ille Graecus (id quod fuit sapientis et praestantis uiri) omnibus consu- lendum putauit: eaque est summa ratio et sapientia boni ciuis, commoda ciuium non diuellere atque omnis aequitate eadem continere. — Habitent gratis in alieno? Quid ita? ut, cum ego emerim, aedificauerim, tuear, impendam, tu me inuito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? 84. Tabulae uero nouae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV. Quamobrem, ne sit aes alienum, quod rei- publicae noceat, prouidendum est (quod multis ratio- nibus cauere potest), non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res uehementius rempublicam continet, quam fides: quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum cre- ditarum. Nunquam uehementius actum est, quam me consule, ne solueretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus ita re- stiti, ut totum hoc tantum malum de republica tolle- retur. Nunquam nec maius aes alienum fuit nec me- lius est et facilius dissolutum: fraudandi enim spe sub- lata soluendi necessitas consecuta est. At uero hic nunc uictor, tum quidem uictus, quae cogitauerat, cum ipsius intererat, tum ea perfecit, cum eius iam nihil in- teresset. Tanta in eo peccandi libido fuit! 85. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis aufe- ratur, aberunt i, qui rempublicam tuebuntur: in pri- misque dabunt operam, ut iuris et iudiciorum aequi- tate suum quisque teneat et neque tenuiores propter humilitatem circumueniantur neque locupletibus ad sua uel tenenda uel recuperanda obsit inuidia; praeterea, quibuscunque rebus uel belli uel domi poterunt, rem-

XXIII. 83. republica] *re publica nostra.* aedificauerim] *aedificauim.* XXIV. 84. totum hoc] *hoc.* est et] *nec.* dis- solutum] *dissolutum est.* cogitauerat] *cogitauit.* cum ipsius intererat, tum ea] *ea.* fuit] *fuit, ut hoc ipsum eum delecta- ret, peccare, etiam si causa non esset.* 85. dabunt operam] *operam dabunt.*

publicam augeant imperio, agris, uectigalibus. Haec magnorum hominum sunt; haec apud maiores nostros facilitata; haec genera officiorum qui persecuntur, cum summa utilitate reipublicae magnam ipsi adipiscentur et gratiam et gloriam. 86. In his autem utilitatum praeceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo praeterita censet a Panaetio, ualetudinis curationem et pecuniae. Quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles. Sunt certe utiles; set ualetudo sustentatur notitia sui corporis et obseruatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in uictu omni atque cultu, corporis tuendi causa, praetermittendis uoluptatibus, postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. 87. Res autem familiaris quaeri debet is rebus, a quibus abest turpitude; conseruari autem diligentia et parcimonia; eisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum conuertimus.

XXV. 88. Set utilitatum comparatio (quoniam hic locus erat quartus, a Panaetio praetermissus) saepe est necessaria. Nam et corporis comoda cum externis et externa cum corporis et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent: cum externis corporis hoc modo, ualere ut malis, quam diues esse; cum corporis externa hoc modo, diues esse, quam maximis corporis uiribus; ipsa inter se corporis sic, ut bona ualetudo uoluptati anteponatur, uires celeritati; externorum autem, ut gloria diuitiis, uectigalia urbana rusticis. 89. Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quaereretur, *quid maxime in re familiari expediret*, respondit: „*Bene pascere.*“ *Quid secundum?* „*Satis bene pascere.*“ *Quid tertium?* „*Male pascere.*“ *Quid quartum?* „*Arare.*“ Et cum ille, qui quaesierat, dixisset: *Quid fenerari?* tum Cato: „*Quid hominem occidere?*“ Ex quo et multis aliis intelligi debet, utilitatum comparationes

XXIV. 86. censet] *censet esse.* praetermittendis] *et praetermittendis.* XXV. 88. modo] *modo comparantur.* quam] *potius, quam.*

fieri solere recteque hoc adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. 90. Set toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia (uellem, etiam de utenda), commodius a quibusdam optimis uiris, ad Ianum medium sedentibus, quam ab ullis philosophis in schola, disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.

XXV. 90. in schola] *ulla in schola.*

LIBER TERTIUS.

I. 1. *P.* Scipionem, Marce fili, eum, qui Africanus appellatus sit, dicere solitum, scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, „nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam, cum solus esset.“ Magnifica uero uox et magno uiro ac sapiente digna! quae declarat, illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret nunquam et interdum colloquio alierins non egeret. Ita duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Uellem, nobis hoc idem uere dicere liceret; set si minus imitatione tantam ingeni praestantiam consequi possumus, uoluntate certe proxime accedimus. Nam et a republica forensibusque negotiis armis impiis uique prohibiti otium persequimur et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. 2. Set neque hoc otium cum Africani nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a reipublicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat. Nostrum autem otium negoti inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Exstincto enim senatu deletisque iudiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? 3. Ita qui in maxima celebritate atque in oculis ciuium quondam uixerimus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli sumus. Set quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis oportere minima eligere, set etiam excerptere ex his ipsis, si

I. 1. qui] qui primus. sit] est. Ita] Itaque. 2. Africani] Africani otio. e coetu] a coetu. 3. Ita] Ita[que]. oportere minima eligere] eligere minima oportere.

quid inesset boni, propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium ciuitati, nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non uoluntas. 4. Quanquam Africanus maiorem laudem meo iudicio assequebatur. Nulla enim eius ingeni monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat: ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione inuestigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, neque otiosum nec solum unquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque conuertimus. Itaque plura breui tempore, euersa, quam multis annis, stante republica, scripsimus.

II. 5. Set cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit, tum nullus feracior in ea locus est nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter honesteque uiuendi praecepta ducuntur. Quare, quanquam a Cratippo nostro, principe huius memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus auris tuas uocibus undique circumsonare nec eas, si fieri possit, quicquam aliud audire. 6. Quod cum omnibus est faciendum, qui uitam honestam ingredi cogitant, tam haut scio an nemini, quam tibi. Sustines enim non paruam existimationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus praeterea graue et Athenarum et Cratippi: ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire, turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. Quare, quantum cuncti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius, quam uoluptas), tantum, fac, ut efficias: neue committas, ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse uideare. Set hactenus: multa enim saepe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad relicuam partem propositae diuisionis reuertamur.

7. Panaetius igitur, qui sine controuersia de offi-

II. 6. tam] tum. quam] potius quam. existimationem] expectationem. hactenus] haec hactenus.

ciis accuratissime disputavit quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno, cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe, altero, utilene esset, an inutile, tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile uideretur, quomodo ea discerni oporteret, de duobus generibus primis tribus libris explicavit. De tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum nec exsoluit id, quod promiserat: 8. quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius Posidonio est, triginta annis uixisse Panaetium, posteaquam illos libros edidisset. Quem locum miror a Posidonio breuiter esse tactum in quibusdam commentariis, praesertim cum scribat, nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium. 9. Minime uero assentior is, qui negant, eum locum a Panaetio praetermissum, set consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia nunquam posset utilitas cum honestate pugnare. De quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in diuisione Panaeti tertium est, an plane omittendum; alterum dubitari non potest, quin a Panaetio susceptum sit, set relictum. Nam qui e diuisione tripartita duas partis absoluerit, huic necesse est restare tertiam. Accedit eo testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panaetium audierat, „*ut nemo pictor esset inuentus, qui in Coa Uenere eam partem, quam Apelles incohatam reliquisset, absolueret* (oris enim pulchritudo relicui corporis imitandi spem auferebat); *sic ea, quae Panaetius praetermisisset, propter eorum, quae perfecisset, praestantiam neminem persecutum.*“

III. 11. Quamobrem de iudicio Panaeti dubitari non potest; rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit, an secus, de eo fortasse.

II. 9. tertiam] tertiam. Praeterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum. 10. eo] eodem. in Coa Uenere] Coae Veneris. praetermisisset] praetermisisset et non perfecisset. neminem] neminem [esse]. III. 11. fortasse] fortasse dubitari potest.

Nam siue honestum solum bonum est (ut Stoicis placet), siue, quod honestum est, id ita summum bonum est (quemadmodum Peripateticis uestris uidetur), ut omnia ex altera parte collocata uix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec, natura cohaerentia, opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut et, quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quicquam, quod non honestum. 12. Quodsi is esset Panaetius, qui uirtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut i, qui res expetendas uel uoluptate uel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Set cum sit is, qui id solum bonum iudicet, quod honestum sit; quae autem huic repugnant specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem uitam fieri nec decessione peiorem: non uidetur debuisse eiusmodi deliberationem introducere, in qua, quod utile uideretur, cum eo, quod honestum est, compararetur. 13. Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, *conuenienter naturae uiuere*, id habet hanc, ut opinor, sententiam: cum uirtute congruere semper; cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea uirtuti non repugnarent. Quod cum ita sit, putant quidam, hanc comparisonem non recte introductam, nec omnino de eo genere quicquam praecipendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie uereque dicitur, id in sapientibus est solis neque a uirtute diuelli unquam potest. In is autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo esse, similitudines honesti esse possunt. 14. Haec enim officia, de quibus his libris disputamus (media Stoici appellant), ea communia sunt et late patent: quae et ingeni bonitate multi assecuntur et progressionem discendi. Illud autem officium, quod rectum idem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut idem dicunt, omnis numeros habet nec praeter sapientem cadere in quenquam potest. 15. Cum autem aliquid actum est, in

III. 12. debuisse eiusmodi] *eiusmodi debuisse*. 13. modo esse] *modo*. 14. enim] *enim omnia*.

quo media officia compareant, id cumulate uidetur esse perfectum, propterea quod uolgens, quid absit a perfecto, non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat praetermissum: quod idem in poematis, in picturis usu uenit in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in unaquaque re uiti sit, nequeant iudicare. Itaque cum sunt docti a peritis, desistant facile sententia.

IV. Haec igitur officia, de quibus his libris disse-
rimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt,
non sapientium modo propria, set cum omni hominum
genere communia. 16. Itaque is omnes, in quibus est
uirtutis indoles, commouetur. Nec uero, cum duo
Decii aut duo Scipiones fortes uiri commemorantur
aut cum Fabricius, ut Aristides, iustus nominatur, aut
ab illis fortitudinis aut ab hoc iustitiae, tanquam a sa-
piente, petitur exemplum: nemo enim horum sic sapiens,
ut sapientem uolumus intelligi. Nec hi, qui sapientes
habiti, nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fue-
runt; ne illi quidem septem: set ex mediolorum offi-
ciorum frequentia similitudinem quandam gerebant spe-
ciemque sapientium. 17. Quocirca nec id, quod uere
honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia com-
parari nec id, quod communiter appellamus honestum,
quod colitur ab is, qui bonos se uiros haberi uolunt,
cum emolumentis unquam est comparandum: tamque
id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit,
tuendum conseruandumque nobis est, quam illud, quod
proprie dicitur uereque honestum, sapientibus. Aliter
enim teneri non potest, si quae est ad uirtutem facta
progressio. Set haec quidem de is, qui conseruatione
officiorum existimantur boni. 18. Qui autem omnia
metiuntur emolumentis et commodis neque ea uolunt
praeponderari honestate, i solent in deliberando hone-
stum cum eo, quod utile putant, comparare; boni uiri
non solent. Itaque existimo, Panaetium, cum dixerit,
homines solere in hac comparatione dubitare, hoc

III. 15. idem] *item.* insit] *insit in iis.* qui quidem]
qui uidem. IV. 16. ut Aristides] *aut Aristides.* ab hoc]
ab his. nominati] *et nominati.* 17. honestum] *est honestum.*
si quae] *si qua.* est ad uirtutem] *ad uirtutem est.*

ipsum sensisse, quod dixerit, *solere* modo, non etiam *oportere*. Etenim non modo pluris putare, quod utile uideatur, quam quod honestum est, set etiam haec inter se comparare et in his addubitare, turpissimum est. Quid ergo est, quod nonnunquam dubitationem asserere soleat considerandumque uideatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur.

19. Saepe enim tempore fit, ut, quod turpe plerunque haberi soleat, iuueniatur non esse turpe. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest maius esse scelus, quam non modo hominem, set etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit, quamuis familiarem? Populo quidem Romano non uidetur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat. Uicit ergo utilitas honestatem? Immo uero honestatem utilitas consecuta est. Itaque ut sine nullo errore diiudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id uidebitur, quod appellamus utile, formula quaedam constituenda: quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus.

20. Erit autem haec formula Stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea: quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quanquam et a ueteribus Academicis et a Peripateticis uestris, qui quondam idem erant, quae honesta sunt, anteponuntur is, quae uidentur utilia, tamen splendidius haec ab eis disseruntur, quibus et, quicquid honestum est, idem utile uidetur nec utile quicquam, quod non honestum, quam ab is, quibus aut honestum aliquid non utile aut utile non honestum. Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. Set redeo ad formulam.

V. 21. Detrahare igitur alteri et hominem hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollit conuictum

IV. 18. honestum est] *honestum*. 19. constituenda] *constituenda est*. 20. et, quicquid] *quidquid*. V. 21. alteri] *alteri aliquid*.

humanum et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut uiollet alterum, dirumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem. 22. Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posset putare, se ualere, si proximi membri ualitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset: sic, si unusquisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas euertatur, necesse est. Sibi ut quisque malit, quod ad usum uitae pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. 23. Neque uero hoc solum natura, id est, iure gentium, set etiam legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus respublicae continentur, eodem modo constitutum est, ut non liceat, sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc uolunt, incolumem esse ciuium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, uinclis, damno coercent. Atque hoc multo magis efficit ipsa naturae ratio, quae est lex diuina: cui parere qui uelit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam uolent uiuere), nunquam committet, ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. 24. Etenim magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo itemque comitas, iustitia, liberalitas, quam uoluptas, quam uita, quam diuitiae: quae quidem contemnere et pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. 25. Itemque magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus; si fieri possit, conseruandis aut iuuandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio coelestium collocauit, quam uiuere in solitudine non modo sine ullis molestiis, set

V. 22. posset putare] *posse putaret*. Sibi] *Nam sibi*. facultates] *facultates, copias, opes*. 23. id est] *et*. respublicae continentur] *res publica continentur*. diuina] *diuina et humana*. 24. magis] *multo magis*. excelsi est] *excelsi est*. *Detrahere autem de altero sui commodi causa magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem.*

etiam in maximis uoluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et uiribus. Quocirca optimo quisque, splendidissimo ingenio longe illam uitam huic anteponebat. Ex quo efficitur, hominem naturae obedientem homini nocere non posse. 26. Deinde qui alterum uiolat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil existimat se facere contra naturam aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam iniuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri in hominibus uiolandis, quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem censet, set multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem, errat in eo, quod malum aut corporis aut fortunae uitae animi grauius existimat.

VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscuiusque et uniuersorum: quam si ad se quisque rapiet, dissoluetur omnis humana consortio. 27. Atque etiam, si hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum uelit, necesse est, secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes et eadem lege naturae: idque ipsum si ita est, certe uiolare alterum naturae lege prohibemur. Uerum autem primum; uerum igitur extremum. 28. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos sui commodi causa; aliam rationem esse ciuium relictorum. I sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum ciuibus: quae sententia omnem societatem distrahit ciuitatis. Qui autem ciuium rationem dicunt habendam, externorum negant, i dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, inuestitia funditus tollitur. Quae qui tollunt, etiam aduersus deos immortalis impii iudicandi sunt. Ab is enim constitutam inter homines societatem euerunt: cuius societatis artissimum uinculum est, magis

V. 25. splendidissimo] *et splendidissimo.* 26. cuiquam] *cuiquam.* in hominibus] *hominibus.* malum] *illum.* fortunae] *fortunae uitium.* VI. 28. I] *Hi.*

arbitrari esse contra naturam, hominem homini detraxere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire uel externa uel corporis uel etiam ipsius animi, quae uacent iustitia. 29. Forsitan quispiam dixerit: Nonne sapiens, si fame conficiatur ipse, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minime uero. Non enim mihi est uita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut uiolem commodi mei gratia. Quid? si Phalarium, crudelem tyrannum et immanem, uir bonus, ne ipse frigore conficiatur, uestitu spoliare possit, nonne faciat? 30. Hæc ad iudicandum sunt facillima. Nam si quid ab homine, ad nullam partem utili, utilitatis tuæ causa detraxeris, inhumane feceris contraque naturæ legem; sin autem is tu sis, qui multum utilitatis reipublicæ atque hominum societati, si in uita remaneas, afferre possis, ob eam causam alteri detraxeris: non sit reprehendendum. Sin autem id non sit eiusmodi, suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus aut egestas aut quid eiusmodi, quam detractio aut appetitio alieni; set communis utilitatis derelictio contra naturam est: est enim iniusta. 31. Itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conseruat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortem uirum transferantur res ad uiuendum necessariae (qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit): modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens hanc causam habeat ad iniuriam. Ita semper officio fungetur, utilitati consulens hominum et ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati. 32. Nam quod ad Phalarium attinet, perfacile iudicium est. Nulla enim est societas nobis cum tyrannis, set potius summa distractio est; neque est contra naturam, spoliare eum, si possis, quæ est honestum necare: atque hoc omne genus pestiferum atque impium

VI. 28. uacent] non uacent. iustitia] iustitia. *Hæc anim una virtus omnium est domina et regina virtutum.* 29. sapiens] igitur sapiens. conficiatur ipse] ipse conficiatur. 30. multum utilitatis] multam utilitatem. ob] si quid ob. aut appetitio] atque appetitio. 31. decernit] decernet. 32. enim est] enim.

ex hominum communitate exterminandum est. Etenim ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine, tanquam spiritu, carere coeperant et nocent relictae partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas et immanitas beluae a communi tanquam humanitatis corpore segreganda est. Huius generis quaestiones sunt omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.

VII. 33. Eiusmodi igitur credo res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio eius consilium peremisset. Ad quas ipsas consultationes superioribus libris satis multa praecepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum. Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tanquam fastigium imponimus, ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare, ut quaedam sibi concedantur, quo facilius, quae uolunt, explicent: sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum, at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrumvis satis est; et tum hoc, tum illud probabilius uidetur nec praeterea quicquam probabile. 34. Ac primum Panaetius in hoc defendendus est, quod non, utilia cum honestis pugnare aliquando posse, dixerit (neque enim ei fas erat), sed ea, quae uiderentur utilia. Nihil uero utile, quod non idem honestum; nihil honestum, quod non idem utile sit, saepe testatur negatque, ullam pestem maiorem in uitam hominum inuasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore diiudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quae uideretur esse, non quae esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quicquam post Panaetium explicatum, quod quidem mihi probaretur, de his, quae in manibus.

VI. 32. tanquam] *et tanquam.* VII. 33. superioribus] *ex superioribus.* fugiendum] *fugiendum; quid sit, quod idcirco fugiendum non sit, quod omnino turpe non sit.* VII. 34. Panaetius in hoc] *in hoc Panaetius.* quicquam] *quidquam* est de hac parte. his] *iis.* manibus] *manus meas venerint.*

VIII. 35. Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, commoueri, necesse est. Set si, cum animum attenderis, turpitudinem uideas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit: tum non utilitas relinquenda est, set intelligendum, ubi turpitude sit, ibi utilitatem esse non posse. Quodsi nihil est tam contra naturam, quam turpitude (recta enim et conuenientia et constantia natura desiderat aspernaturque contraria) nihilque tam secundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas et turpitude esse non potest. Itemque si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni uisum est, aut certe omni pondere grauior habenda, quam relicta omnia, quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum. Quod autem bonum, id certe utile: ita quicquid honestum utile. 36. Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile uisum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicae, hinc uenena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et ciuium; hinc opum nimiarum potentiae non ferendae, postremo hae iam in liberis ciuitatibus regnandi existunt cupiditates, quibus nihil nec taetrius nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis uident; poenam, non dico legum, quas saepe perrumpunt, set ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non uident. 37. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum et impurum), qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse uideant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non peruenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque ea remouenda est. Satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnis in deos hominesque celare possimus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

VIII. 35. utile] *id utile.* 36. hae iam] *etiam.* 37. impurum] *impium.* opinioque ea] *opinioque.*

IX. 38. Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque eum, ut ferunt fabulae, animaduertit, cuius in lateribus fores essent. Quibus apertis corpus hominis mortui uidit magnitudine inusitata anulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit. Tum (erat autem regius pastor) in concilium se pastorum recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam conuerterat, a nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat; idem rursus uidebatur, cum in locum anulum inuerterat. Itaque hac opportunitate anuli usus reginae stuprum intulit eaque adiutrice regem dominum interemit; sustulit, quos obstare intelligebat: nec in his eum facinoribus quisquam potuit uidere. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet, quam si non haberet. Honesti enim boni uiri non occulte quaerunt. 39. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, set non satis acuti, fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone: quasi uero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est uis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid diuitiarum, potentiae, dominationis, libidinis causa feceris; si id dis hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus. Negant, id fieri posse. Quanquam potest id quidem; set quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent. Urgent rustice sane: negant enim, posse, et in eo perstant. Hoc uerbum hi quid ualeat non uident. Cum enim quaerimus, si possint, quid facturi sint, non quaerimus, possintne celare; set tanquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si responderint, se impunitate proposita omnia facturos, facinorosos se esse fateantur; si negent, omnia, turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Set iam ad propositum reuertamur.

X. 40. Incidunt multae saepe causae, quae contur-

IX. 38. Tum (erat — pastor) in] — erat — pastor — ;
 tum in. intelligebat] *arbitrabatur.* putet] *putet peccare.*
 boni uiri] *bonis uiris.* occulte] *occulta.* quaerunt] *quaeruntur.*
 39. hi quid] *quid.* possint] *celare possint.* omnia facturos]
facturos, quod expediat. omnia, turpia] *omnia turpia.*

bent animos utilitatis specie, non, cum hoc deliberetur, relinquendane sit propter utilitatis magnitudinem honestas (nam id quidem improbum est), set illud, possitne id, quod utile uideatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat uideri facere id iniuste: fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti consiliorum et adiutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniolorum et memoriam regni esse tollendam: quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas ualuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit, non item. 41. Species enim utilitatis animum pepulit eius. Cui cum nisum esset utilius, solum, quam cum altero, regnare, fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile uidebatur neque erat, assequi posset; et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis nec probabilem nec sane idoneam. Peccauit igitur: pace uel Quirini uel Romuli dixerim. 42. Nec tamen nostrae nobis utilitates omitrendae sunt aliisque tradendae, cum is ipsi egeamus; set suae cuique utilitati, quod sine alterius iniuria fiat, seruiendum est. Scite Chrysippus, ut multa: *Ut, qui stadium, inquit, currit, cuncti et contendere debet, quam maxime possit, ut uineat; supplantare eum, quicum certet, aut manu pellere nullo modo debet: sic in uita sibi quenque petere, quod pertineat ad usum, non inuicem est; alteri deripere, ius non est.* 43. Maxime autem perturbantur officia in amicitiiis, quibus et non tribuere, quod recte possit, et tribuere, quod non sit aecum, contra officium est. Set huius generis totius breue et non difficile praeceptum est. Quae enim uidentur utilia, honores, diuitiae, uoluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam neque contra iusiurandam ac fidem amici causa uir bonus faciet; ne si iudex quidem erit de ipso amico. Poni-

X. 40. propter utilitatis magnitudinem honestas] *honestas propter utilitatis magnitudinem.* 41. nec probabilem] *neque probabilem.* 42. Ut, qui] *Qui.* pellere] *depellere.* 43. possit] *possis.*

enim personam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiae, ut ueram amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accomodet. 44. Cum uero iurato sententia dicenda sit, meminerit, se deum adhibere testem, id est, ut ego arbitrator, mentem suam, qua nihil dedit deus homini diuinus. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, **QUAE SALUA FIDE FACERE POSSET.** Haec rogatio ad ea pertinet, quae dixi honeste amico a iudice posse concedi. Nam si omnia faciendae sint, quae amici uelint, non amicitiae tales, set coniurationes putandae sunt. 45. Loquor autem de communibus amicitiiis: nam in sapientibus uiris perfectisque nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinauisset et is, qui morti addictus esset, paucos dies commendandorum suorum causa sibi postulauisset, uas factus est alter eius sistendi, ut, si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petiuit, ut se ad amicitiam tertium ascriberent. 46. Cum igitur utile, quod uidetur, in amicitia cum eo, quod honestum est, comparatur, iaceat utilitatis species, naleat honestas. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur, religio et fides anteponatur amicitiae. Sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

XI. Set utilitatis specie in republica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbance nostrae. Durius etiam Athenienses, qui sciuerunt, ut Aeginetis, qui classe ualebant, pollices praeciderentur. Hoc nisum est utile: nimis enim imminebat propter propinquitatem Aeginae Piraeo. Set nihil, quod crudele, utile: est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. 47. Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Fannius apud

X. 44. se deum] *deum se.* dedit [deus homini] *hominini dedit deus ipse.* quae] *quae paullo ante.* sunt] *sint.*
 45. paucos] *paucos sibi.* sibi postulauisset] *postulauisset.* factus est] *factus + est.* 46. utile, quod] *id, quod utile.* XI. 47. Fannius] *Pennus.*

patres nostros, Papius nuper. Nam ESSE PRO CIUE, QUI CIUIS NON SIT, rectum est, non licere: quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus et Scaeuola; usu uero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species contemnitur prae honestatē. Plena exemplorum est nostra respublica, cum saepe, tum maxime bello Punico secundo: quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta uis est honesti. 48. Athenienses cum impetum Persarum nullo modo possent sustinere statuerentque, ut urbe relicta, coniugibus et liberis Troezenae depositis, nauis conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam, suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus cooperuerunt. Atque ille utilitatem sequi uidebatur. 9. Themistocles post uictoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, *se habere consilium reipublicae salutare, set id sciri, opus non esse*. Postulauit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille: *classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gythcum, clam incendi posse: quo facto frangi Lacedaemoniorum opes, necesse esset*. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna exspectatione uenit dixitque *perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, set minime honestum*. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putauerunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunis, socios uectigalis habemus.

XII. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam utile esse, ne tum quidem, cum id, quod esse utile putes, adipiscare. Hoc enim ipsum, utile putare, quod turpe sit, calamitosum est. 50. Set incidunt, ut supra dixi, saepe causae, cum repugnare utilitas honestati

XI. 47. contemnitur prae honestate] prae honestate contemnitur. saepe] saepe alias. honesti] honesti, ut speciem utilitatis obscuret. 48. impetum Persarum] Persarum impetum. uidebatur] uidebatur; sed ea nulla erat repugnante honestate. 49. opus non] non opus.

uidetur: ut animadvertendum sit, repugnante plane, an possit cum honestate coniungi. Eius generis hae sunt quaestiones: Si, exempli gratia, uir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum aduexerit in Rhodiorum inopia et fame summae annonae caritate; si idem sciat, compluris mercatores Alexandriae soluisse nauisque in cursu, frumento onustas, petentis Rhodum uiderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo uenditurus? Sapientem et uirum bonum fingimus. De eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet; set dubitet. 51. In huiusmodi causis aliud Diogeni Babylonio uideri solet, magno et graui Stoico; aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo. Antipater, omnia patefucienda, ut ne quid omnino, quod uenditor norit, emptor ignoret; Diogenes, uenditorem, quatenus iure civili constitutum sit, dicere uitia oportere, cetera sine insidiis agentem; quoniam uendat, uelle quam optime uendere. „Aduexi, exposui, uendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris, cum maior est copia. Cui fit iniuria?“ 52. „Quid ais? Tu, cum hominibus consulere debeas et seruire humanis societati eoque lege natus sis et ea habeas principia naturae, quibus parere et quae sequi debeas, ut utilitas tua communis sit uicissimque communis utilitas tua sit, celabis homines, quid is assit commoditatis et copiae?“ „Aliud est celare, aliud tacere. Neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quae natura deorum sit, quid sit finis bonorum: quae tibi plus prodescent cognita, quam tritici utilitas. Set num, quicquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est?“ 53. „Immo uero necesse est, siquidem meministi, esse inter homines natura coniunctam societatem.“ „Memini; set num ista societas talis est, ut

XII. 50. uidetur] uideatur. uirum bonum] bonum uirum. dubitet] dubitet, an turpe non sit. 51. Antipater] Antipatro. Diogenes] Diogeni. agentem] agero et. 52. Quid] Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid. communis sit] communis sit utilitas. copiae] copiae? Respondebit Diogenes fortasse sic. quid] qui. num] non. 53. uero] uero [inquiet ille]. Memini] Memini, inquiet ille.

nihil suum cuiusquam sit? Quod si ita est, non uendendum quidem quicquam est, set donandum.“

XIII. Uides, in hac tota disceptatione non illud dici: *Quamuis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, facium; set ita expedire, ut turpe non sit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum.* 54. „Uendat aedis uir bonus propter aliqua uitia, quae ipse norit, ceteri ignorent; pestilentes sint et habeantur salubres; ignoratur, in omnibus cubiculis apparere serpentis; male materiatae, ruinosae: set hoc praeter dominum nemo sciat. Quaero, si haec emptoribus uenditor non dixerit aedisque uendiderit pluris multo, quam se uenditurum putaret: num id iniuste aut improbe fecerit.“ „Ille uero“, inquit Antipater. 55. „Quid est enim aliud, ERRANTI UIAM NON MONSTRARE (quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est), emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quam uiam non monstrare: nam est, scientem in errorem alterum inducere.“ Diogenes contra: „Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? Ille, quod non placebat, proscripsit; tu, quod placebat, emisti. Quodsi, qui proscribunt UILLAM BONAM BENEQUE AEDIFICATAM, non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est nec aedificata ratione: multo minus, qui domum non laudauerit. Ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus uenditoris quae potest esse? Quid uero stultius, quam uenditorem eius rei, quam uendat, uitia narrare? quid autem tam absurdum, quam si domini iussu ita praeco praedicet? DOMUM PESTILENTEM UENDO.“ 56. Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile uideatur, non modo facere honestum sit, set etiam non facere turpe. Haec illa, quae uidetur utilium fieri

XIII. 54. „Uendat — fecerit“] Uendat — fecerit. materiatae] materiatae sint. putaret] putarit. num id] num? 55. emptorem] si hoc non est, emptorem. laudauerit] laudauerunt. esse] esse? Sin autem dictum non omne praestandum est: quod dictum non est, id praestandum putas? uero] uero? [est]. 56. illa] est illa.

cum honestis saepe dissensio. Quae diiudicanda sunt. Non enim, ut quaereremus, exposuimus; set, ut explicaremus. 57. Non igitur uidetur nec frumentarius ille Rhodios nec hic aedium uenditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, cum quicquid retineas; set cum, quod tu scias, id ignorare emolumentum tui causa uelis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem genus quale sit et cuius hominis, quis non uidet? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non uiri boni; uersuti potius, obscuro, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, ueteratoris, uasri. Haec tot et alia plura nonne inutile est subire nomina?

XIV. 58. Quodsi uituperandi, qui reticuerunt: quid de is existimandum est, qui orationis uanitatem adhibuerunt? G. Canius, eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causa contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos emere uelle, quo inuitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percubisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis: *uenalis quidem se hortos non habere, set licere uti Canio, si uellet, ut suis;* et simul ad coenam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines graciosus, piscatores ad se conuocauit et ab is petiuit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque, quid eos facere uellet. Ad coenam tempore uenit Canius; opipare a Pythio apparatus conuiuium; cymbarum ante oculos multitudo; pro se quisque, quod ceperat, afferebat; ante pedes Pythi pisces abiiciebantur. 59. Tum Canius, „*Quaeso*“; inquit, „*Pythi? tantumne piscium? tantumne cymbarum?*“ Et ille, „*Quid mirum?*“; inquit. „*Hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium; hic aquatio; hac nulla isti curere non possunt.*“ Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut uenderet. Grauate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius uoluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium conficit. Inuitat

XIII. 57. cum quicquid] *quidquid.* genus] *celandi genus.* subire] *uitorum subire.* XIV. 59. Pythi] *quid est hoc, Pythi?*

Canis postridie familiaris suos; uenit ipse mature; scalinum nullum uidet. Quaerit ex proximo uicino, *num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos uideret.* „Nullus, quod sciam“, inquit: „set hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset.“ 60. Stomachari Canis. Set quid faceret? nondum enim Aquillius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipsis, cum ex eo quaereretur, *quid esset dolus malus*, respondebat: *cum esset aliud simulatum, aliud actum.* Hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius et omnes, aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi. Nullum igitur factum potest utile esse, tot uitiiis coinquinatum.

XV. 61. Quodsi Aquilliana definitio uera est, ex omni uita simulatio dissimulationeque tollenda est. Ita nec, ut emat melius, nec, ut uendat, quicquam simulabit aut dissimulabit uir bonus. Atque iste dolus malus et legibus erat uindicatus, ut tutela duodecim tabulis, circumscriptio adolescentium lege Plaetoria, et sine lege iudiciis, in quibus additur EX FIDE BONA. Reliquorum autem iudiciorum haec uerba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriae MELIUS AEQUIUS; in fiducia UT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIUS AEQUIUS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur UT INTER BONOS BENE AGIER, quicquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione, ut ait Aquillius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non illicitatorem uenditor, non, qui contra rem liceatur, emptor apponet. Uterque, si ad eloquendum uenerit, non plus quam semel eloquetur. 62. Q. quidem Scaenola, P. F., cum postulasset, *ut sibi fundus*, cuius emptor erat, *scmol indicaretur* idque uenditor ita fecisset, dixit, *se plus aestimare*; addidit centum milia. Nemo est, qui uiri hoc boni neget; negant, sapientis, ut, si minoris,

XIV. 60. factum] *eorum factum.* tot] *quam sit tot.* coinquinatum] *inquinatum.* XV. 61. quod] *QUOD.* UT INTER] *INTER.* simulatione] *in simulatione.* contra rem] *contra.* 62. uiri hoc] *hoc uiri.* neget] *fuisse negot.* negant, sapientis] *sapientis negant.*

quam potuisset, uendidisset. Haec igitur ista pernicies, quod alios bonos, alios sapientis existimant. Ex quo Ennius: *Nequicquam sapere sapientem, qui ipse sibi prodesse non quiret.* Vere id quidem, si, quid esset prodesse, mihi cum Ennio conueniret. 63. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panaeti, uideo in istis libris, quos de officio scripsit, Q. Tuberoni dicere: *Sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem habere rationem rei famidiuris. Neque enim solum nobis diuites esse uolumus, sed liberis, propinquis, amicis maximeque reipublicae. Singulorum enim facultates et copiae diuitibus sunt ciuitatis.* Huic Scaeuolae factum, de quo ante dixi, placere nullo modo potest: etenim omnino tantum se negat facturum compendi sui causa, quod non liceat. Huic neclaus magna tribuenda nec gratia est. 64. Sed sine et simulatio et dissimulatio dolus malus est: perpaucae res sunt, in quibus non uersetur; siue uir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini; certe istum non facile reperimus. Nunquam igitur est utile, peccare, quia semper est turpe; et, quia semper est honestum, uirum bonum esse, semper est utile.

XVI. 65. Ac de iure quidem praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut in is uendendis uitia dicerentur, quae nota essent uenditori. Nam cum ex duodecim satis esset, ea praestari, quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret: a iureconsultis etiam reticentiae poena est constituta. **QUICQUID ENIM IN PRAEDIO ESSET UITI, ID, stataerunt, SI UENDITOR SCIRET, NISI NOMINATIM DICTUM ESSET, PRAESTARI OPORTERE.** 66. Ut, cum in arce augurium augures acturi essent iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedis in Caelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripuit insulam,

XV. 62. illa] est illa. 63. officio] officiis. scripsit, Q. Tuberoni dicere] scripsit Q. Tuberoni, dicere. ante] paullo ante. potest: etenim] potest. Etenim, qui. liceat. Huic] liceat, huic. 64. uersetur] dolus malus iste uersetur. istum] istum uirum bonum. igitur est] est igitur. XVI. 65. duodecim] duodecim [tabulis]. **IN PRAEDIO ESSET] ESSET IN PRAEDIO.**

uendidit; emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Istaque Calpurnius cum demolitus esset cognossetque, Claudium aedis postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum adegit, **QUICQUID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA.** M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater (ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus), is igitur index ita pronuntiavit: *Cum in uendendo rem hanc scisset et non praenuntiasset, emptorem indemnem damno praestari oportere.* 67. Ergo ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emptori uitium, quod nosset uenditor. Quod si recte iudicauit, non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium uenditor tacuit: set huiusmodi reticentiae iure ciuili omnes comprehendere non possunt. Quae autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinacis noster, C. Sergio Oratae uendiderat aedis eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae seruebant: set hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat: *quod uitium uenditor non dixisset sciens, id oportere praestari;* aequitatem Antonius: *quoniam id uitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedis uendidisset, nihil fuisse necesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneat.* 68. Quorsus haec? Ut illud intelligas, non placuisse maioribus nostris astutes.

XVII. Set aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio ergo haec postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiae, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis nec agitaturus? ipsae enim feruae, nullo insequente, saepe incidunt. Sic tu aedis proscribas? tabulam tanquam plagas ponas? domum propter nitia vendas? in eam aliquis incurrat imprudens? 69. Hoc quanquam uideo propter deprauationem con-

XVI. 66. Istaque] *Itaque.* hanc] *eam.* emptorem indemnem damno] *emptori damnum.* 67. uitium] *uiti.* XVII. 68. tanquam plagas] *tanquam plagam.*

suetudinis neque more turpe haberi neque aut lege sanciri aut iure civili: tamen naturae lege sanctum est. Societas est enim (quod etsi saepe dictum est, dicendum est tamen saepius), latissime quidem quae pateat, omnium inter omnis; interior eorum, qui eiusdem gentis sint, propior eorum, qui eiusdem ciuitatis. Itaque maiores aliud ius gentium, aliud ius civile esse uoluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos ueri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturae et ueritatis exemplis. 70. Nam quanti uerba illa: **UTI NE PROPTER TE FIDEMUE TUAM CAPTUS FRAUDATUSUE SIEM!** quam illa aurea: **UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, SINE FRAUDATIONE!** Sed qui sint *boni* et quid sit *bene agi*, magna quaestio est. Q. quidem Scaenola, pontifex maximus, *summam uim esse dicebat in omnibus is arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA: fideique bonae nomen existimabat manare latissime, idque uersari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, uenditis, conductis, locatis, quibus uitae societas continuaretur: in is magni esse iudicis, statuere (praesertim cum in plerisque essent iudicia contraria), quid quenque cuique praestare oporteret.* 71. Quocirca astutiae tollendae sunt eaque malitia, quae uolt illa quidem, se uideri prudentiam, set abest ab ea distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum et malorum; malitia (si omnia, quae turpia, mala sunt) in mala bonis ponit ante. Nec uero in praediis solum ius civile, ductum a natura, malitiam fraudemque uindicat, set etiam in mancipiorum uenditione fraus uenditoris omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium. Heredum alia causa est. 72. Ex quo intelligitur, quoniam iuris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. Nec ulla per-

XVII. 70. SINE] ET SINE. in is] in his. 71. se uideri] uideri se esse. fraus uenditoris] uenditoris fraus, praestat] is praestat.

nijies uitae maior inueniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiae: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare uideantur. Quotus enim quisque reperietur, qui, impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?

XVIII. 73. Periclitemur, si placet, et in is quidem exemplis, in quibus peccari uolgens hominum fortasse non putet. Neque enim de sicariis, de ueneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est (qui non uerbis sunt et disputatione philosophorum, set uinclis et carcere fatigandi); set haec consideremus, quae faciunt i, qui habentur boni. L. Miuici Basili, locopletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt. Quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines huius tum ciuitatis potentissimos: qui cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni facinoris munusculum non repudiauerunt. Quid ergo? satin? est hoc, ut non deliquisse uideantur? Mihi quidem non uidetur, quanquam alterum uiuom amani, alterum non odi mortuum. 74. Set cum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferro uoluisset eumque fecisset heredem (hunc au! dico patronum agri Piceni et Sabini: o turpem notam temporum illorum!): num erat aecum, principes ciuis rem habere; ad Satrium nihil praeter nomen peruenire? Etenim si is, qui non defendit iniuriam neque propulsat, cum potest, iniuste facit (ut in primo libro disserui): qualis habendus est is, qui non modo non repellit, set etiam adiuuat iniuriam? Mihi quidem etiam uerae hereditates non honestae uidentur, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non ueritate, set simulatione quaesitae. 75. Atque in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum uideri solet falso: nam eadem utilitatis, quae honestatis, est regula. Qui hoc non peruiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, *Est istuc quidem honestum, uerum hoc expedit*, res a natura copulatas audebit errore dinellere: qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

[XVIII. 73. de ueneficis] ueneficis. huius tum] eiusdem. ciuitatis] aetatis. 74. au! dico] dico. 75. Atque] Atqui. solet falso] solet. Falso.

XIX. Itaque, si uir bonus habeat hanc uim, ut, si digitis concorepauerit, possit in locupletium testamenta nomen eius irrepere, hac ui non utatur, ne si exploratum quidem, id omnino neminem unquam suspicaturum, habeat. At dares hanc uim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui reuera non esset heres: in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem iustus isque, quem sentimus uirum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit uir bonus, nescire fateatur. 76. At uero, si qui uoluerit complicatam animi sui notionem euoluere, iam se ipse doceat, eum uirum bonum esse, qui prosit, quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Quid ergo? His non noceat, qui quodam quasi ueneno perficiat, ut ueros heredes moueat, in eorum locum ipse succedat? „Non igitur faciat“, dixerit quis, „quod utile sit, quod expediat?“ Immo intelligat, nihil nec expedire neo utile esse, quod sit iniustum. 77. Fimbriam consularem, audiebam de patre nostro puer, iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsonem fecisset, NI UIR BONUS ESSET. Itaque ei dixisse Fimbriam, *se illum rem nunquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicauisset, aut statuisset uideretur uirum bonum esse aliquem, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur.* Huic igitur uiro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates nonerat, nullo modo uideri potest quicquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque tale is non modo facere, set ne cogitare quidem quicquam audebit. Haec non turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod contritum est uetustate, prouerbium. Cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, *dignum esse dicunt, quicum in tenebris micat.* Huc quam habet uim, nisi illam, nihil expedire, quod

XIX. 75. id omnino neminem unquam suspicaturum, habeat] *habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum.* complicatam animi sui] *animi sui complicatam.* 76. iniustum] *iniustum.* Hoc qui non didicerit, bonus uir esse non poterit. 77. tale is] *talis uir.* audebit] *audebit, quod non audeat praedicare.* contritum] *iam contritum.*

non deceat, etiamsi id possis, nullo refellente, obtinere? 78. Uidesne, hoc prouerbio neque Gygi illi posse ueniam dari neque huic, quem paulo ante fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse conuerrere? Ut enim, quod turpe est, id, quamuis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, aduersante et repugnante natura.

XX. 79. At enim, cum permagna praemia sunt, est causa peccandi. C. Marius, cum a spe consulatus longe abesset et iam septimum annum post praeturam iaceret neque petiturus unquam consulatum uideretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, summum uirum, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, *bellum illum duceres; si se consulem fecissent, breui tempore aut uirum aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani redacturum.* Itaque factus est ille quidem consul; set a fide iustitiaeque discessit, qui optimum et grauissimum ciuem, cuius legatus, a quo missus esset, in inuidiam falso criminis adduxerit. 80. Ne noster quidem Gratidianus officio uiri boni functus est tum, cum praetor esset collegiumque praetorum tribuni plebi adhibuissent, ut res numaria de communi sententia constitueretur: iactabatur enim temporibus illis numus sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem escenderent. Et ceteri quidem alius alio; Marius ab subselliis in Rostra recta idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. Omnibus uicis statuae; ad eas tus, cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior. 81. Haec sunt, quae conturbant in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo uiolatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, per magnum uidetur: ut Mario, praeripere collegis et tribunis plebi popularem gratiam, non ita turpe; consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, ualde utile uidebatur. Set omnium una regula est, quam

XX. 79. uirum] *uirum et ciuem, a quo] et a quo,*
 81. conturbant] *conturbent,*

tibi cupio esse notissimam: aut utile; quod uideatur, turpe ne sit; aut, si turpe est, ne uideatur utile. Quid igitur? possuntne aut illum Mariam uirum bonum iudicare aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut uideas, quae sit in ea species, forma et notio uiri boni. Cadit ergo in uirum bonum mentiri emolumentum sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. 82. Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut uiri boni et splendorem et nomen amittas? Quid est, quod afferre utilitas ista, quae dicitur, possit, tantum si nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se conuertat quis iu beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluae.

XXI. Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere uoluit eum, cuius ipse audacia potens esset? Utile ei uidebatur, plurimum posse alterius inuidia. Id quam iniustum in patriam et quam turpe esset, non uidebat. Ipse autem socer in ore semper Graecos uersus de Phoenissis habebat, quos dicam, ut potero; incondite fortasse, set tamen, ut res possit intelligi:

Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia

Uiolandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, uel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerit, exceperit! 83. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, uenditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiuerit et id perfecit! Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est: probat enim et legum et libertatis interitum earumque oppressionem tetricam et detestabilem gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse, in ea ciuitate, quae libera fuerit quaeque esse debeat, regnare; set ei, qui id facere possit, esse utile: qua hunc obiurgatione aut quo potius conuicio a tanto errore coner auellere? Potest enim, di immortales,

XX. 81. utile, quod] *illud, quod utile.* utile] *esse utile.*

82. afferre] *afferre tantum.* possit] *possit, quantum auferre.* tantum si] *si boni uiri.* XXI. 82. turpe] *turpe et quam inutile.* 83. et id] *idque.* et legum] *legum.* fuerit] *fuit.*

eniquam esse utile foedissimum et taeterrimum patri-
cidium patriae, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab
oppressis civibus *Parens* nominetur? Honestate igitur
dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo
inter se discrepare, re unum sonare uideantur. 84. Non
habeo, ad uolgi opinionem quae maior utilitas, quam
regnandi, esse possit; nihil contra inutitius ei, qui id
iniuste consecutus sit, inuenio, cum ad ueritatem coepi
reuocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles
angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, uita
insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infidoles regno, pauci beneuoli,
inquit Accius. At cui regno? quod a Tantalo et Pe-
lope proditum iure obtinebatur. Nam quanto pluri-
us ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum
ipsum Romanum oppressisset ciuitatemque non modo
liberam, set etiam gentibus imperantem sibi seruire
coegisset? 85. Hunc tu quas conscientiae labeis censes
in animo habuisse? quae uulnera? Cuius autem uita
ipsi potest utilis esse, cum eius uita ea condicio sit,
ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit
et gloria? Quodsi haec utilia non sunt, quae maxime
uidentur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis: sa-
tis persuasum debet esse, nihil esse utile, quod non
honestum sit.

XXII. 86. Quanquam id quidem, cum saepe alias,
tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, et a
senatu nostro iudicatum est. Cum enim rex Pyrrhus
populo Romano bellum ultro intulisset cumque de im-
perio certamen esset cum rege generoso ac potenter
perfuga ab eo uenia in castra Fabrici eique est polli-
citus, *si praemium sibi proposuisset, se, ut clam
uenisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et
cum uenena necaturum.* Hunc Fabricius reducendum
curauit ad Pyrrhum idque eius factum laudatum a se-
nato est. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quae-
rens, magnum illud bellum perfuga unus et gran-
diuersarium imperi sustulisset: set flagitium, quicquam
laudis certamen, eum nolle uirtute, set scelere supera-

XXI. 84. beneuoli] sunt boni. 85. censes in animo]
in animo censes. debet esse] esse debet. XXII. 86. flagi-
tium] magnum dedecus et flagitium. certamen] certamen
fuisse. nolle] non.

tom. 87. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatus nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare, an uenientis? Si gloriae causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsae opes expetuntur, quomodo poterunt utiles esse cum infamia? Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. F. sententia: *quas civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset, ut eae rursus uectigales essent, neque is pecuniam* (quam pro libertate dederant) *reidderemus*. Ea senatus est assensus. Turpe imperio! Piratarum enim melior fides. „At aucta uectigalia; uile igitur.“ Quousque audebunt dicere quicquam utile, quod non honestum? 88. Potest autem ulli imperio, quod gloria fultum debet esse et beneuolentia sociorum, utile esse odium et infamia? Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte enim uidebatur aerarium uectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis: cum in hos benefici esse deberemus; cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleamus; eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem reipublicae pertinebat. Male etiam Curio, cum *causam Transpadanorum aequam esse dicebat, semper autem addebat, „Uincat utilitas reipublicae!“* Potius diceret, non esse aequam, quia non esset utilis reipublicae, quam, cum *non utilem diceret esse, aequam lateretur.*

XXIII. 89. Plenus est sextus liber Hecatonis tallium quaestionum: *Sitne boni uiri, in maxima caritate annonae familiam non alere*. In utranque partem disputat; set tamen ad extremum utilitate (ut putat) officium dirigit magis, quam humanitate. — Quae rat, *si in mari iactura facienda sit, equine pretiosae iacturam faciat, an seruoli uilis*. Hic alio res, alio ducit humanitas. — *Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? Negat: quia sit iniurium. — Quid dominus nauis eripietne aurum? Minime: non plus, quam is nauis*

XXII. 87. quomodo poterunt] *quoquo modo, non poterunt.*
 88. fultum debet] *debet fultum.* praefracte enim] *praeefracte.*
 XXIII. 89. liber] *liber de officiis.* utilitate (ut putat)] *utilitate.* pretiosi] *pretiosi potius.* res] *res familiaris.* quam is] *quam.*

gantem in alto eicere de navi velit, quia sua est. Quosd enim peruentum sit eo, quo sumpta navis est, non domini navis est, set navigantium. — 90. Quid? si una tabula sit, duo naufragi ique sapientes, sibi uter rapiat? an alter cedat alteri? Cedat uero; set si, cuius magis intersit, uel sua uel reipublicae causa, uiuere. — Quid? si haec paria in utroque? Nullum erit certamen; set quasi sorte aut micando uictus alteri cedet alter. — Quid? si pater fana expilet, ovinulos agat ad aerarium: indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem. Quin etiam defendat patrem, si arguatur. — Non igitur patria praestat omnibus officiis? Immo uero; set ipsi patrias conducit, pios habere ciuis in parentis. — Quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater: silebitne filius? Immo uero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris. — 91. Quaerit etiam, si sapiens adulterinos numos acceperit imprudens pro bonis, cum id rescierit; soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait; Antipater negat, cui potius assentior. — Is, qui uinum fugiens uendat sciens, debeatne dicere? Non necesse putat Diogenes; Antipater uiri boni existimat. Haec sunt quasi controuersa iura Stoicorum. In mancipio uendendo dicendane uita, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili, set haec, menducem esse, aleatorem, ebriosum? Alteri dicenda uidentur; alteri non uidentur. — 92. Si quis, aurum uendens, orichalcum se putet uendere: indicetne ei uir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum est iam, et quid mihi uideatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominaui, controuersia.

XXIV. Pacta et promissa semperne seruanda sint, QUAE NEC UI NEC DOLO MALO, ut praetores solent, dubitauerim. Si quis medicamentum cuiquam

XXIII. 90. ique] eique. sibi uter] sibine uter. 91. Is, qui] Qui. aleatorem] aleatorem, furacem. XXIV. 92. dubitauerim] FACTA SINT. quis] qui.

dederit ad aquam intercutem pepigeritque, *ne unquam post illo uteretur*: si eo medicamento sanus factus sit et annis aliquot post inciderit in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum liceat uti, quid faciendum sit? Cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quicquam fiat iniuriae, uitae et saluti consulendum. — 93. Quid? si quis, saepius rogatus ab eo, qui eum heredem faciat, *cum ei testamento sesterctium milies relinquatur, ut, antequam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet*, id se facturum promiserit, quod aliter heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit? Promisisse, nollem; et id arbitrator fuisse grauitatis. Quoniam promissit, si saltare in foro turpe ducet, honestiam mentitus sit, ex hereditate nihil ceperit: nisi forte eam pecuniam in reipublicae magnum aliquod tempus contulerit, ut uel saltare, cum patriae consulturus sit, turpe non sit.

XXV. 94. Ac ne illa quidem promissa seruanda sunt, quae non sunt is ipsis utilia, quibus promiseris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) *facturum esse dixit, quicquid optasset*. Optauit, *ut in currum patris tolleretur*. Sublatus est. Atque is, antequam constitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat, in hoc promissum patris non esse seruatum! Quid? quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui cum tris optationes Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti filii, cum is patri suspectus esset de nouerca: quo impetrato Theseus in maximis fuit luctibus. 95. Quid? Agamemnon cum denouisset Dianae, *quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno*, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat in eo illo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda nonnunquam, neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente

XXIV. 92. pepigeritque] *pepigeritque, si eo medicamento sanus factus esset. unquam] illo medicamento unquam. post illo] postea. liceat] eo liceat. 93. quis] qui. saepius] sapiens. rogatus] rogatus sit. id] idque. heredem] heredem eum. promiserit] promiserit, necne. mentitus sit, ex] mentietur, si ex. XXV. 94. promiseris] illa promiseris. esse] se esse. impetrato] optato impetrato. 95. in eo illo] eo.*

deposuerit, repetat insaniens: reddere peccatum sit, officium non reddere. — Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae: reddas depositum? Non, credo: facias enim contra rempublicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta natura, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conuentis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de is quidem, quae uidentur esse utilitates contra iustitiam simulatione prudentiae, satis arbitror dictum. 96. Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem uersemur, cum docebimus, ea, quae uidentur esse utilia neque sunt, quam sint uirtuti inimica. Ac de prudentia quidem, quam uult imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est. Reliquae sunt duae partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et praestantia cernitur, altera in conformatione et moderatione continentiae et temperantiae.

XXVI. 97. Utile uidebatur Ulixi, ut quidem poetae tragici prodiderunt (nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulixē nulla suspicio est); sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere uoluisse. Non honestum consilium. „At utile“, ut aliquis fortasse dixerit, „regnare et Ithacae uiuere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tū decus in quotidianis laboribus et periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?“ Ego uero, istam contemnendam et abiiciendam, quoniamque honesta non sit, ne utilem quidem esse. 98. Quid enim auditurum putas Ulixem fuisse, si in illa simulatione perseuerauisset, qui cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace?

*Cuius ipse princeps iurisiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere assimilare, ne coiuret, institit.
Quodni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam:
Fide sacratae ius perpetuo falleret.*

XXV. 95. reddas] reddasne. natura] natura uidentur esse. 96. uersemur] uersabimur. uirtuti] uirtutis. XXVI. 97. quoniamque] quoniam, quae. esse] esse arbitror. 98. Ulixem fuisse] fuisse Ulixem.

99. Illi uero non modo cum hostibus, uerum etiam cum fluctibus (id quod fecit) dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum. Set omitamus et fabulas et externa; ad rem factam nostramque ueniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum esset, in Africa ex insidiis captus, duce Xanthippo, Lacedaemonio, imperatore autem Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi Poenis captiui nobiles quidam essent, rediret ipse Karthaginem. Is cum Romam uenisset, utilitatis speciem uidebat; set eam, ut res declarat, falsam iudicauit. Quae erat: manere in patria; esse domi suae cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem tenere consularis dignitatis gradum. Quis haec negat esse utilia? quem censes? Magnitudo animi et fortitudo negat.

XXVII. 100. Num locupletiores quaeris auctores? Harum enim uirtutum est proprium, nihil extimescere; omnia humana despiciere; nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum uenit; mandata exposuit; sententiam ne diceret, recusauit: *quandiu iureiurando hostium teneretur, se non esse senatorem*. Atque illud etiam („o stultum hominem“, dixerit quispiam, „et repugnantem utilitati suae!“), reddi captiuos, negauit esse utile: *illos enim adolescentis esse et bonos duces; se iam confectum senectute*. Cuius cum ualisset auctoritas, captiui retenti sunt; ipse Karthaginem rediit neque cum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque uero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci: set iusiurandum conseruandum putabat. Itaque tum, tum, inquam, cum uigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captiuos, periurus consularis remansisset. — 101. „At stulte, qui non modo non censuerit captiuos remittendos, uerum etiam dissuaserit.“ — Stulte? etiamue si reipublicae

XXVI. 99. nostramque] *nostraque*. iterum esset] *iterum*. captus] *captus esset*. Hamilcare] *patre Annibalis Hamilcare*. redditi] *redditi essent*. quidam essent] *quidam*. erat] *erat talis*. negat] *neget*. XXVII. 100. uirtutum est] *est uirtutum*. se non esse] *non esse se*. tum, tum, inquam] *tum*. 101. Stulte] *Quomodo stulte*.

conducebat? Potest autem, quod inutile reipublicae sit, id cuiquam cui utile esse?

XXVIII. Pernertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem ad eamque rapimur nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Set quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa et prima et summa habemus; utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus. 102. „Quid est igitur“, dixerit quis, „in iureiurando? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negoti dicunt, nihil exhibere alteri, set eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri uolunt, *nunquam nec irasci deum nec nocere.* Quid autem iratus Iuppiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur uis fuit religionis, quae tantam utilitatem praeuerteret. An, ne turpiter faceret? Primum, *minima de malis.* Num igitur tantum mali turpitudine ista habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium,

Fregistin' fidem?

Neque dedi neque do infideli cuiquam,

quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur.“ 103. Addunt etiam, quemadmodum nos dicimus, uideri quaedam utilia, quae non sint, sic: „uideri quaedam honesta, quae non sint: ut hoc ipsum uidetur honestum, conseruandi iurisiurandi causa ad cruciatum reuertisse; set fit non honestum, quia, quod per uim esset actum, ratum non debuit esse.“ Addunt etiam, „quicquid ualde utile sit, id fieri honestum, etiamsi natura non uideretur.“

Haec fere contra Regulum. Set prima uideamus.

XXIX. 104. „Non fuit Iuppiter metuendus, ne iratus noceret.“ Haec quidem ratio non magis contra

XVIII. 102. dicunt] [*dicunt*]. 103. dicimus] *dicamus.* sic] *sic se dicere.* uim] *vim hostium.* non debuit esse] *esse non debuit.* natura] *antea.* XXIX. 104. noceret] *noceret: qui neque irasci solet nec nocere.*

Reguli, quam contra omne iniurandum ualet. Set in iureiurando non, qui metus, set, quae uis sit, debet intelligi. Est enim iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate et quasi deo teste promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, set ad iustitiam et ad fidem pertinet. Nam praeclare Ennius:

O Fides alma, apta pinnis, et iusiurandum Iouis!

Qui ius igitur iurandum uiolat, is Fidem uiolat, *quam in Capitolio uicinam Ioui Optimo Maximo* (ut in Catonis oratione est) *maiores nostri esse uoluerunt.* 105. „At enim ne iratus quidem Iuppiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus.“ Certe, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo summum malum, set ne malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant. Quorum quidem testem non mediocrem, set haut scio an grauissimum, Regulum, nolite, quaeso, uituperare. Quem enim locupletiore quaerimus, quam principem populi Romani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit uoluntarium? Nam quod aiunt, *minima de malis*, id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum maius malum turpitudine? Quae si corporis habet aliquid offensionis: quanta animi debet uideri! 106. Itaque neruosius qui ista disserunt, *solum* audent *malum* dicere *id, quod turpe sit*; qui autem remissius, i tamen non dubitant *summum malum* dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi neque do infideli cuiquam,

iccirco recte a poeta, quia, cum tractaretur Atreus, personae seruiendum fuit. Set si hoc sibi sument, nullam esse fidem, quae infideli data sit: uideant, ne quaerant latebram periurio. 107. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet, fieri oportere, id seruandum est; quod aliter, id si non fecerit, nullum est periurium. Ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus

XXIX. 104. et quasi] *quasi*. Ioui Optimo Maximo] *Iouis Optimi maximi*. 105. corporis] *in deformitate corporis*. quanta] *quanta illa deprauatio et foeditas turpificati*. 106. quaerant latebram] *quaeratur latebra*. 107. Quod] *Est ius etiam bellicum fidesque iuris iurandi saepe cum hoste seruanda*. Quod. fecerit] *feceris*.

quidam id non feceris. 108. Non enim falsum iurare periurare est; set quod EX ANIMI TUI SENTENTIA iuraueris (sicut uerbis concipitur more nostro), id non facere periurium est. Scite enim Euripides:

Iuravi lingua; mentem iniuratum gero.

Regulus uero non debuit condiciones pactionesque bellicas perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur: aduersus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset, nunquam claros uiros senatus uinctos hostibus dedidisset.

XXX. 109. At uero T. Ueturius et Sp. Postumius (cum iterum consules essent), qui, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt is: iniussu enim fecerant. Eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Maenius, qui tum tribuni plebi erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditiois ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus: qui ut Numaninis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam P. Furius, Sex. Atilius ex senatusconsulto ferebant. Qua accepta est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompeius, quo (cum in eadem causa esset) deprecante accepta lex non est. Hic ea, quae uidebatur utilitas, plus ualuit, quam honestas; apud superiores utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est. 110. „At non debuit ratum esse, quod erat actum per nim.“ Quasi uero forti uiro uis possit adhiberi. „Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim dissuasurus esset?“ Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit, set suscepit causam, ut esset iudicium senatus: cui id nisi ipse auctor

XXIX. 107. feceris] *feceris*. Nam pirata non est ex perduellium numero [definitus]; sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet nec iusiurandum esse commune. 108. iuraueris] *iuraris*. condiciones] *condictiones*. bellicas] *bellicas et hostiles*. XXX. 109. qui] *quia*. enim] *enim populi senatusque*. 110. dissuasurus] *de captiuis dissuasurus*. cui id] *cui*.

fuisset, captiui profecto Poenis redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriae non utile putauit, iccirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. Nam quod aiunt, quod ualde utile sit, id fieri honestum; immo uero esse, non fieri: est enim nihil utile, quod idem non honestum; nec, quia utile, honestum, set, quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis haut facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius.

XXXI. 111. Set ex tota hac laude Reguli unum est admiratione dignum: quod captiuos retinendos censuit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile uidetur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, set temporum. Nullum enim uinculum ad astringendam fidem iureiurando maiores artius esse uoluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacrae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides, indicant notiones animaduersionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de iureiurando, iudicabant. 112. L. Manlio, A. F., cum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebi, diem dixit, quod is paucos dies sibi ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, *quod Titum filium* (qui postea est Torquatus appellatus) *ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset*. Quod cum audiuisset, adolescens filius, negotium exhiberi patri, accurrisse Romam et cum primo luci Pomponi domum uenisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum: qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adolescentem iussit uenire. At ille, ut congressus est, confestim gladium destrinxit iurauitque, *illum interfecturum, nisi iusiurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum*. Iurauit hoc coactus Pomponius; rem ad populum detulit, docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis iusiurandum ualebat! Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto cognomen in-

XXXI. 111. unum] *unum illud*. 112. dies sibi] *sibi dies*. congressus] *ingressus*. illum] *se illum*. interfecturum] *statim interfecturum*. coactus] *coactus terrore*.

uenit; cuius tertio consulatu Latini ad Ueserim fusi et fugati. Magnus uir in primis et, qui perindulgens in patrem, idem acerbe seuerus in filium.

XXXII. 113. Set ut laudandus Regulus in conseruando iureiurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Hannibal, se in castra redituros (ea, quorum erant potiti Poeni), nisi de redimendis captiuis impetrauissent, si non redierunt, uituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis: *ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, nouem reuertisse, re a senatu non impetrata; unum ex decem, qui paulo post, quam egressus esset, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse.* Reditu enim in castra liberatum se esse iureiurando interpretabatur non recte: fraus enim astringit, non dissoluit periurium. Fuit igitur stulta calliditas, pernerse imitata prudentiam. Itaque decreuit senatus, ut ille uetorator et callidus uinctus ad Hannibalem duceretur. 114. Set illud maximum. Octo hominum milia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset aut qui periculum mortis defugissent, set qui relictis in castris fuissent a Paulo et a Uarrone consulibus. Eos senatus censuit non redimendos, cum id parua pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut uincere aut emori. Qua quidem re audita fractum animum Hannibalis scribit idem, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione ea, quae uidentur utilia, uincuntur.

115. Acilius autem, qui Graece scripsit historiam, pluris ait fuisse, qui in castra reuertissent eadem fraude, ut iureiurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominia notatos.

Set etiam huius loci finis sit. Perspicuum est enim, quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant (quale fuisset Reguli factum, si aut de captiuis, quod ipsi opus esse uideretur, non, quod reipublicae, censuisset aut domi remanere uoluisset), non esse utilia, quia sint flagitiosa, foeda, turpia.

XXXII. 113. re a senatu] a senatu re. egressus esset] erat egressus e castris. interpretabatur non recte] interpretabatur: non recte. 114. censuit non] non censuit. 115. Set etiam] Sit iam. finis sit] finis.

XXXIII. 116. Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur quicquam utile esse, quod sit huic talium uirtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Anniceri philosophi *omne bonum in uoluptate* posuerunt *uirtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset uoluptatis*. Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere adiutor auctorque sententiae. Cum his uiris equisque (ut dicitur), si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. 117. Nam si non modo utilitas, set *uita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe explorata* (ut a Metrodoro scriptum est) *continetur*: certe haec utilitas et quidem summa (sic enim censent) cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiae locus dabitur? an ut conquirat undique suauitates? Quam miser uirtutis famulatus et seruiantis uoluptati! Quod autem munus prudentiae? an legere intelligenter uoluptates? Fac, nihil isto esse iucundius: quid cogitari potest turpius? Iam, qui *dolorem summum malum* dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum, ut laborum, contemptio? Quamuis enim multis locis dicat Epicurus, sicuti dicit, satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat; set quid consentaneum sit ei dicere, qui bona uoluptate terminauerit, mala dolore. Ut, si illum audiam de continentia et temperantia: dicit ille quidem multa multis locis; set aqua haeret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in uoluptate? Est enim temperantia libidinum inimica; libidines autem consecatrices uoluptatis. 118. Atque in his tamen tribus generibus, quomodo possunt, non incallide tergiuersantur. Prudentiam introducunt *scientiam, suppeditantem uoluptates, depellentem dolores*. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt *rationem negligendae mortis, perpetiendi doloris*. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, set tamen.

XXXIII. 116. philosophi] *philosophi nominati*. 117. et seruiantis] *seruiantis*. ut laborum] *laborumque*. 118. quomodo] *quoquo modo*. tamen] *tamen quoquo modo possunt*.

Dicunt enim, *uoluptatis magnitudinem doloris de- tractione finire*. Iustitia uacillat uel iacet potius omnes- que eae uirtutes, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani. Neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, non plus, quam ami- citia, si haec non per se expetantur, set ad uoluptatem referantur. Conferamus igitur in pauca. 119. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria: sic omnem uoluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem et Dinomachum iudico, qui se dirempturos controuer- siam putauerunt, si cum honestate uoluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulauissent. Non recipit istam coniunctionem honestas; aspernatur, repellit. Nec uero finis bonorum, qui simplex esse debet, is ex dissimil- imis rebus misceri et temperari potest. Set de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad pro- positum. 120. Quemadmodum igitur, si quando ea, quae uidetur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam uoluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. Nam ut tribuamus aliquid uoluptati: condimenti fortasse nonnihil, utilita- tis certe nihil habebit.

121. Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum; set perinde erit, ut acceperis. Quan- quam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tanquam hospites erunt recipiendi. Set ut, si ipse uen- nissem Athenas (quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara uoce patria reuocasset), aliquando me quoque audires: sic, quoniam his uoluminibus ad te profecta nox est mea, tribues is temporis quantum poteris; poteris autem, quantum uoles. Cum uero in- tellexero, te hoc scientiae genere gaudere, tum et prae- sens tecum propediem, ut spero, et, dum aberis, absens loquar. Uale igitur, mi Cicero, tibi que persuade, esse te quidem mihi carissimum, set multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.

XXXIII. 118. uoluptatem] *uoluptatem utilitatemue*.
 119. Calliphonem] *Calliphontem*. bonorum] *bonorum [et ma-
 lorum]*. is ex] *ex*.



COMMENTATIONES.

COMMENTATIO I.

De particula

haut.

CAPUT I.

Quod attinet ad quaestionem, unde ducta sit particula *haut*, mihi persuasi, cognatam eam esse cum Graeco alpha priuatiuo. Sic tamen absoluta non est quaestio de origine particulae, propterea quod, si nihil aliud tenemus, nondum intelligitur, qui sit factum, ut Latinum *haut* possit significare aliud quiddam. Consentaneum igitur, quaerere causam huius rei in addito illo *ut*. Priusquam autem id agamus, necesse est, enucleetur notio, quam inesse ipse doceat usus in particula nostra.

Si quis in legendis scriptoribus Latinis aliquo modo attentus fuerit ad usum particulae *haut*, hic facile intellexerit, ita differre inter se *haut* et *non*, ut *non simpliciter* et *directe*, *haut* contra cum *fluctuatione* quadam neget planeque respondeat nostro *nicht eben*: quo continetur *fluctuans* iudicium hominis negantis.

Errauerunt igitur certe, si qui opinati sunt, *haut* maiorem habere vim, quam *non*, ob eamque causam rarius inueniri *haut*. Si quaeritur, ultra sit grauior particula: quod *non* apud optimos scriptores multo saepius, quam *haut*, inuenitur, forsitan ideo iam possis contendere, *non* vim maiorem, quam *haut*, habere. Nam *simpliciter*, id est, *grauius*, saepius debemus negare, quam cum *fluctuatione*. Set etiam ex ipso usu particulae nostrae sequitur, quod dixi, *haut* per se vim maiorem habere, quam *non*. Uel propterea toties usurpatur *haut* in dictione *haut scio an*. Conferantur etiam singuli loci, uelut apud *Ciceronem d. Leg. III, 11, 26 Scis, solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici, ADMODUM, aut PRORSUS ITA EST. Q. Haut equidem assentior; tu tamen ad relicua pergas uelim. Satis*

inepte hoc loco Marcus Quintum fratrem loquentem fecisset, grauius si *haut* sonaret, quam *non*. Nam tum causae debebant afferri, cur tanto opere dissentiret Quintus, ac non poterat dicere, se uelle tamen, ad relicua pergere Marcum.

Eos autem, qui putauerunt, *haut grauius* esse, quam *non*, induxisse uidentur ei loci, quibus scriptores (praeter ceteros *Tacitus*) cum *ironia* quadam leniore particula *haut* usi sunt, etiamsi noluerint negare quam grauiissime. At debebant isti reputare, is locis non esse grauius *haut*, set *uideri* tantum propter *ironiam*.

Set ad originem particulae nostrae illustrandam redeamus. Utrum rectius scribatur *haut*, an *haud*, dubitatur ab hominibus doctis, quanquam nec saepe in codicibus antiquissimis inuenitur *haud*, set plerunque *haut*, et non sane, nisi reuera fuit scriptum ab antiquis *haut*, intelligitur, unde *haut* potuerit propriam eam accipere notionem, ut contineatur eo *fluctuans* iudicium ipsius negantis.

Facile apparet, in particula *haut* additum illud *ut* eodem modo ortum esse atque in particula *aut*: siquidem in utroque manifesto eadem fere inest notio *fluctuandi*. Si essent in Latina lingua uestigia Graecae particulae $\tau\epsilon$, diceres, additum istud *t* in istis particulis cognatum esse cum $\tau\epsilon$: quoniam constat, per se particulam $\tau\epsilon$, ut *que*, continere *fluctuans* iudicium loquentis. Set eiusmodi uestigia non esse in Latina lingua, docebo *Comment. II, cap. 1*. Nemo autem dixerit, additum istud *t*, in quo quidem *fluctuans* inest iudicium, ductum esse a particula *et*, cum haec ipsa nunquam assumpserit illam *fluctuandi* notionem. At enim mihi persuasi, ut *aut* ortum esse sumo ex obsoleta particula *a* (quam prorsus respondisse existimo Graecae illi η) et ex particula *ut* (quam antiquis temporibus etiam significasse *utut*, *wie es auch sei*, *wie auch*, constat), sic particulam *haut* esse ortam ex alpha illo priuatiuo et ex *ut*; dici igitur *haut* pro *aut* discernendi gratia. Inest autem in notione *wie auch fluctuatio*. Nam uerbi causa *tu aut ille* sic explicandum *du*, oder (*wie es auch mit dem Gegensatz stehen mag*) *jener*: id est, *du*, oder *auch jener*. Non minus *haut assentior* explicauerim sic *nicht (wie es auch mit der Vornehmung stehen mag) stimme ich bei*: id est, *nicht eben stimme ich bei*. Idque magis etiam apparebit, si uideris ex *Comment. II, cap. 1*, particulam illam *que*, cuius quidem propria est notio *fluctuandi*, ipsam quoque ab initio nihil aliud significasse, nisi *wie auch*. Conferri autem iubeo particulam illam *namut* (ex *nam* et *ut*), quam mihi per-

suasi cum fluctuatione quadam significasse *denn wohl* (proprie *denn, wie es auch mit diesem Grunde stehen mag*). Differunt igitur inter se *nempe* et *nemut* sic, ut notio nam urgeatur in *nempe* (*denn ja*), deminuat in *nemut* (*denn wohl*).

Particula *set* quidem, nemo dubitabit, quin sit orta ex *se* et *et*: addit enim *set* ita, ut tamen *secernat*. Cum *se* proprie sit particula *secernendi*, prorsus est couseutaneum, antiquitus fuisse in ea fere notionem *sine*. Quodsi dixerunt *se fraude*, ut esse uideatur *sine fraude*, cogitauerunt sine dubio sic *secreta fraude*. Est igitur memoratu dignum, pulcherrimam nostro sermone deprehendi analogiam in uocabulis *sonder* (*se*, id est, *sine*), *sondern* (*set*), *sondern* (*secare*). Errauerunt autem uehementer i grammatici, qui contenderunt, *set* ortum esse ex antiquo *sedum*. Si reuera antiquis temporibus etiam dictum est *sedum*, sicut est, illud *dum* simili modo putandum est infecisse uim particulae *se*, atque *dum* in *nedum*. Nihil autem ineptius, quam sumere, ex illo *dum* potuisse fieri *d*: praesertim cum ex antiquissimis codicibus satis constet, Romanos scripsisse *set* ac non *sed*.

At particula *aut*, cognata cum Graeco η (quod in Latina lingua transiit ab initio in *a*, ex eoque addita particula interrogandi *ne* factum est *an*; addito *ut* autem *aut*) *set* *aut* addito illo *ut* eandem accepit notionem, quam habet Graecum η addito $\tau\epsilon$, dico $\eta\tau\epsilon$, id est, *oder auch*. Continetur igitur, ut Graeco $\eta\tau\epsilon$, sic Latino *aut fluctuans* iudicium siue *diuidentis* siue *opponentis*.

Uenio iam ad particulam nostram *haut*, cuius propria notio praeclare sequitur ex ipsa origine particulae. Etenim notio illa *fluctuantis* iudici, quam habere, ut *que*, sic *ut* uidimus, uel maxime perspicitur in particula *haut*. Idem enim fere significat *haut*, quod *non ferme*, id est, *nicht eben*. Cf. *p. Arch.* p. 188. Simillimum est igitur Graecum $\omicron\upsilon\ \kappa\epsilon$.

C A P U T II.

Quodsi illam tenebimus significationem particulae *haut*, quam esse diximus *nicht eben*, omnia facile explicabuntur, quaecumque ad hanc particulam pertinent. Apparebit autem ex omni disputatione nostra, ex omnibus scriptoribus unum fere *Ciceronem* de usu particulae *haut*, ut solet in rebus grammaticis, sic statuisse, ut debebat statui propter propriam

particulae naturam. Atque haec, haec, inquam, est causa, cur summus ille scriptor norma debeat esse totius Latinitatis: cur non modo in ipsius orationis conformatione, uerum etiam in minimis quibusque illum debeamus imitari. Nemo enim scriptor tam recte, nemo tam expertus omnium argutiarum scripsit, quam *Cicero*. Pauci, ut *Caesar*, accedunt ad illas *Ciceronis* rationes.

Iam erit docendum, quando alii scriptores particula *haut* aut *non* aut *rarissime* usi sint, alii *saepenumero*.

Nullus exstat apud *Ciceronem* locus, quo legatur *haut ita*, ea scilicet notione, quam nos reddimus nostro *nicht so* aut etiam *nicht eben*; set semper scribit *non ita*.

Causa, quare tum *Cicero* abstinnerit particula *haut*, et apertissima et iustissima est, siquidem ea notio, quam habere hanc particulam ostendimus, uix patiebatur, coniungi tali significatione *haut* et *ita*. Nam cum in ipso *haut* insit notio *fluctuandi*, parum aptum et quasi quaedam tautologia est, addere istud *ita*, quo quidem ipso continetur uis quaedam *fluctuandi*. De qua re infra plura. Rectissime igitur *Tullius* tantum dicere solet *non ita*: itaque legitur in operibus eius *triginta* fere locis. Nam qui praeterea *uiginti* leguntur apud *Ciceronem* loci, quibus dictum est *non ita*, eis cum hic scriptor suo quodam more, id est, opinor, more *philosophi* sit locutus (quem morem frustra apud alium scriptorem quaesieris), hos igitur locos paulo post afferam, ubi et de communi usu dictionum *non ita*, *haut ita*, et de hoc *Ciceronis*, ut *philosophi*, proprio more erit explicandum.

Apud *Ciceronem* quidem et *adolecentem* et *poetam* in *Aratorum* fragmentis uersu 346 legitur *haut ita*, uidelicet metri causa:

*Quem qui suspiciens in coelum nocte serena
Late dispersum non uiderit, haut ita uero
Cetera se speret cognoscere signa potesse.*

Nam certa uidetur haec lectio, recepta etiam ab *Orellio*, quam codices admodum uariant.

Ne quis desideret locos, quibus *Cicero* usitato more dixit *non ita* aut etiam *neque* (*nec*) *ita*, hic sint allati: *d. Nat. D.* I, 31, 86; *d. Leg.* III, 11, 26; *d. Off.* II, 6, 19; *d. Senect.* 20, 74; *Orat.* 8, 25; *Brut.* 36, 137; 66, 233; 69, 244; *d. Orat.* I, 43, 192 (*neque ita*); 60, 256; II, 84, 341; *p. Planc.* 26, 64; *p. Sest.* 36, 77; *p. Caec.* 6, 17 (*neque ita*); *p. Flacc.* 20, 47 (*sic*); *p. Rosc. Am.* 23, 64; 28, 78 (*neque ita*); *p. Quint.* 4, 14 (*sic*) bis (*nec ita*); 16; in *Uerr. A.* II, l. II, 20, 49; l. III, 53,

124; *Philipp. I*, 3, 7 (*nec ita*), 8 (*sic*); *II*, 42, 108 (*sic*); *XI*, 5, 10; *ad Fam. I*, 9, 3; *VII*, 23, 4; *XI*, 21, 3; *ad Att. XII*, 43, 1.

Similiter prorsus locutus est *Caesar*. Nullo enim loco dixit *haut ita*; at non raro, id est, *quater*, apud hunc legitur *non ita*, ut *B. G. IV*, 37 *in.*; *V*, 47 *in.*; *B. C. II*, 6 *in.*; 34 *in.*.

Apud *Cornelium Nepotem*, qui non sane semper tam recte scribit, quam *Tullius*, quanquam est reuera *Cornelius Nepos* ac non *Aemilius Probus*, *bis* inueni *haut ita*: *IV*, 1, 2; *XVII*, 4, 5; *ter* autem *non ita*: *XIV*, 6, 1; *XVI*, 2, 3; *XXIII*, 5, 3.

In *Salusti* operibus neque inueni *haut ita* neque *non ita*: qui pro his uocibus utitur uno *haut*.

Apud *Liuium*, qui in rebus grammaticis saepe in deteriori abit parte, plus *uicies* inuenitur *haut ita*: *I*, 31 *m.*; 33 *in.*; *II*, 16 *m.*; 36 *in.*; 61 *ext.*; *IV*, 12 *ext.*; *V*, 19 *ext.*; *VII*, 32 *m.*; *XXI*, 20 *ext.*; *XXIV*, 29 *in.*; *XXIX*, 27 *ext.*; 28 *ext.*; *XXX*, 45 *m.*; *XXXI*, 39 *in.*; *XXXII*, 26 *m.*; *XXXIII*, 25 *ext.*; *XXXIV*, 16 *ext.*; *XXXVI*, 14 *in.*; *XXXVII*, 47 *in.*; 58 *m.*; *XXXVIII*, 16 *m.*; *XXXIX*, 50 *ext.*; *XL*, 37 *in.*; *XLV*, 14 *m.*; contra *ter* tantum *non ita*: *XXXI*, 42 *ext.*; *XXXV*, 11 *in.*; 50 *ext.*. *Septies* uero *nec ita*: *II*, 22 *in.*; *V*, 13 *ext.*; *VI*, 26 *ext.*; *IX*, 28 *m.*; *X*, 12 *ext.*; *XXXIII*, 3 *ext.*; *XXXVI*, 45 *in.*; *semel* tantum *neque ita*: *II*, 6 *ext.*. De causa, cur putandus sit *Liuius* praetulisse *haut ita*, infra dicam.

In scriptis *Taciti*, quanquam saepissime hic scriptor utitur particula *haut*, nec ullo loco inuenitur *haut ita*, et abstulit etiam uoce *non ita*, excepto uno illo loco *Hist. II*, 32 *in.* *Britannicum militem hoste et mari distineri*; *Hispanias armis non ita redundare*; *prouinciam Narbonensem incursu classis et aduerso proelio contremuisse*; *clausam Alpiibus et nullo maris subsidio transpadanam Italiam, atque ipso transitu exercitus uastam*: ad quem locum paulo post reuertar.

Tacitus autem suo *haut* contentus est, ubi alii utuntur uocibus *non ita* aut *haut ita*. Nam quod uolgo putant, *Tacitum* pro *non ita*, *haut ita* usurpasse *non perinde*, *haut perinde*, errant uehementer. De *Taciteo* usu harum uocum paulo post dicam.

Uenio ad illustrandas et explicandas has uoces *non ita*, *haut ita*: in quibus nemo profecto existimabit particulam *ita* reuera habere notionem nostrorum uocabulorum *eben*, *sonderlich*. Uerius possint uideri isti statuere, si qui, ut propria istius particulae retineatur significatio, ellipsin aut apo-

siopesin aliquam censeant sumendam. Set apparebit, opinor, non magis de ellipsi aut aposiopesi esse cogitandum.

Constat, particulam *ita*, cum propria significet fere *eo modo*, ampliorem illam, prorsus tamen consentaneam, assumpsisse significationem nostri *insofern*, id est, *in Berücksichtigung dieses oder jenen Umstandes*. Cf. p. Arch. p. 80. Hoc igitur contendo significare illud *ita* in uocibus *non ita, haut ita*. Quodsi dicunt Romani *non ita, haut ita*, negant illi quidem aliquid, set *ita*, ut *adiunctam modo et secundariam negent notionem atque mente praecipiant eius rei, de qua agitur, notionem affirmatiuam*. Sequitur igitur, ut addito illo *ita* uis particulae negatiuae quodammodo *minuatur*, propterea quod tum *res, de qua agitur, non ipsa prorsus negatur, set tantum adiuncta aliqua notio*. Atque haec primum est causa, cur *nunquam ita* usurpetur *non ita, haut ita*, ut *solum uerbum* sequatur, set debeat *adiunctum esse aduerbium aut adiectiuom cum substantiuo aliquo*; deinde cur *nunquam* iungatur *non ita, haut ita* cum *adiectiuo*, si *primaria* eo continetur loci sententia. Nunquam igitur inueniuntur talia: *te non ita probo; res haec non ita est facilis; non ita sum aegrotus*, quod aequae peruersum est atque *non ita aegroto*, quia in *adiectiuo*, coniuncto cum *uerbo substantiuo*, inest notio *uerbalis*; porro *locum non ita facilem explicauit*; nam *non ita facilem* idem est, quod *qui non ita facilis est*. Cf. Cic. d. Nat. D. I, 31, 86 *Quibus mediocres homines non ita ualde mouentur, his ille clamat omnium mortalium mentis esse perterritas*. Hoc est *ut mouentur, ita non ualde, insofern sie afficirt werden; nicht sehr*. d. Leg. III, 11, 26 *Pompeium uero quod una ista in re non ita ualde probas, uix satis mihi illud uideris attendere, non solum ei, quid esset optimum, uidentum fuisse, set etiam quid necessarium*. Hoc est *ut probas, ut non improbas* (Marcus enim Quintum plus dicentem facit, quam dixit), *ita non ualde probas*. d. Off. II, 6, 19 *Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur eaque teneamus, dicemus, neque ita multa post: set pauca ante dicenda sunt*. Hoc est *ut post, ita non multo post*. d. Senect. 20, 74 *De qua non ita longa disputatione opus esse uidetur*. Hoc est *ut disputatione, ita non longa disputatione*. Orat. 8, 25 *quod eorum uicini, non ita lato interiecto mari, Rhodii nunquam probauerunt*. Hoc est *ut interiecto mari, ita non lato*. — Caes. B. G. IV, 37 *in spe praediae adducti primo non ita magno suorum numero circumsteterunt*. Hoc est *ut suorum numero,*

ita non magno. — *Cornel. Nep. XVI, 2, 3 Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae.* Hoc est *ut copiis, ita non magnis.* — *Liv. I, 31 m. haut ita multo post pestilentia laboratum est.* Hoc est *ut post, ita haut multo post.*

Ab initio igitur hanc notionem *insofern* fuisse in isto *ita*, apparet: quanquam facile concedo, Romanos ipsos fortasse sensim, ut nostros homines in simillima uoce *nicht so*, oblitos esse interdum dictionum *non ita et haut ita* originis. Teneandum autem est primum uel maxime, non posse has uoces iungi cum *solo uerbo*, propterea quod tum inepta sit sententia. Nam si quis dicat exempli causa *hoc non ita probo*, sicut toties hodie et scribant et locuntur homines docti, dicit profecto *hoc ut hoc probo, ita non probo*: id quod est ineptum. Dicere debent *non ita ualde hoc probo*, hoc est, *ut hoc probo, ita non ualde probo.*

Deinde attendendum est maximo opere, *nunquam* apud Romanos iungi *non ita, haut ita* cum adiectiuo, si *primaria* in eo inest loci sententia, ac non adest notio *secundaria*. Barbarum est igitur, dicere tale quiddam *res haec non ita facilis est*. Inepta enim inest sententia haec *ut est facilis, ita non est facilis*. Tali loco aut addito aduerbio *ualde* alioque dices *res haec non ita ualde facilis est*, aut, quod praestat, utere pro *non ita ualde* particula *haut*. Quoties uero peccant in hac re recentiores!

Restat, ut afferam eos locos, quibus *solus Tullius* usus est uerbis *non ita* proprio quodam more, id est, ut illud *ita* seruet quidem notionem *insofern*, ueruntamen non, ut *praecipiat* eius rei, de qua agitur, notionem affirmatiuam, set ut se quasi applicet ad antecedentia *repetatque* notionem rei cuiusdam, quam scriptor uult respici. *Minuitur* igitur etiam his locis uis particulae negatiuae, propterea quod res aliqua negatur, ut tamen aliud quid respiciatur. Nam si tantum respectu cuiuscunque rei nego, non saue nego omnino et prorsus. His autem locis cum *solis uerbis, solis adiectiuis* posse coniungi *non ita*, si modo sit *praegressa res, quae respiciatur*, uix est, quod doceam: nihil enim magis consentaneum. Ineptus est autem error recentiorum, quod usurpant *non ita*, etiamsi nihil antecesserit, quod uelint respicere; non minus ineptus, quam quod solent dicere *non ita* pro *non ita ualde*, similia, de quibus supra est dictum.

Set iam afferendi sunt *uiginti* illi loci *Tulliani: d. Leg. II, 1, 3 (Set nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita; hoc est ita, ut est causa. Nos aber freilich erquickt mich noch ein anderer Grund, der, als sol-*

cher, dich nicht angeht); d. Off. III, 20, 81 (*Haec sunt, quae conturbant in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo uiolatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, permagnum uidetur; hoc est non ita magnum, ut uiolatur in eo aequitas; paulo post Mario praeripere collegis et tribunis plebi popularem gratiam non ita turpe; consulens ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, ualde utile uidebatur; hoc est non ita turpe, ut praeripiebatur popularis gratia*); Acad. II, 2, 5 (*eorum rerum disputationem praecipuis ciuitatis non ita decoram putant; hoc est non ita decoram, ut sunt principes ciuitatis*); Brut, 10, 41 (*Themistocles insecutus est, ut apud nos, peranticus; ut apud Atheniensis, non ita sane uetus; hoc est non ita sane uetus, ut apud Atheniensis. Uides, quam fuisset putidum, si talibus locis Tullius idem uerbis repetisset isdem. Paulo post Fuit enim regnante iam Graecia, nostra autem ciuitate non ita pridem dominatu regio liberata; hoc est non ita pridem, ut nostra ciuitate*); ad Att. I, I, 15, 3 (*Set Axius, eiusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem; hoc est non ita laudat, ut scribit ad me acta. Alienum ab hoc loco fuisset non ita ualde, sicut ab omnibus locis, qui praegressi sunt*). Cf. porro d. Orat. II, 19, 77; d. Fin. II, 13, 42; Tusc. V, 8, 23; in Uerr. A. II, l. IV, 49, 109; p. M. Tull. §. 19; ad Fam. X, 25, 3; ad Quint. Fr. I, 1, 11, 33.

Ac tale quidem non ita uno loco apud Tacitum etiam reperitur Hist. II, 32 in. *Hispanias armis non ita redundare, quod nequaquam dictum est pro non ita ualde redundare. Particula ita respicitur ipsum uocabulum armis, nec probauerim, si quis coniecerit non iam*

Res igitur, quae respiciatur, uel tota potest esse enuntiatio uel etiam unum uocabulum, inodo insit notio, quaequae est. Excepta sunt igitur pronomina omnia (sine addantur, siue intelligantur), uidelicet etiam nomina propria.

Nemo autem iam mirabitur, apud historicos nullo loco huiusmodi non ita aut haut ita inueniri, propterea quod propriae tales rationes dicendi philosophorum sunt. Similiter illud a nostris philosophis usurpatum als solcher philosophorum scholas non facile relinquet.

Relicuum est, ut dicam de Taciteis illis uocibus haut perinde, non perinde, quarum usus longe differt ab usu uocum non ita, haut ita. Nam uoce non (haut) ita negabatur aliquid respectu rei cuiusdam; uox non (haut) perinde negat modo, unam rem sic fieri, ut alteram. Significat enim perinde prope eo modo. Cf. Tac. Ann. II,

88 ext. (*Canitur adhuc barbaras apud gentis, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haut perinde celebris*; hoc est *haut perinde, ut barbaris gentibus*); IV, 61 m. (*Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad uixit, celebratae; monumenta ingenii eius haut perinde retinentur*; hoc est *haut perinde, ut fama ingenii*); XII, 40 ext. (*Haec, quanquam a duobus, Ostorio Bidioque, praetoribus, pluris per annos gesta, coniunxi, ne diuisa haut perinde ad memoriam sui ualerent*; hoc est *haut perinde, ut coniuncta*); Hist. I, 89 in. (*intentis alimentorum pretiis, quae motu Uindicis haut perinde plebem attriuerant*; hoc est *haut perinde, ut illo tempore*); Germ. 5 m. (*Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniae uenam argentum aurumue gignere. Quis enim scrutatus est? Possessione et usu haut perinde afficiuntur*; hoc est *haut perinde, ut i, qui scrutantur*); 34 in. (*Angriuarios et Chamauos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt atiaque gentes, haut perinde memoratae*; hoc est *haut perinde, ut Dulgibini et Chasuari*); Ann. XIV. 58 in. (*Plauto parari necem non perinde occultum fuit*; hoc est *non perinde, ut in Syllae caede. Respiciuntur enim ultima uerba capitis proximi*); XV, 43 ext. (*Erant tamen, qui crederent, ueterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis uapore perrumperentur*; hoc est *non perinde, ut patula latitudo*). Cf. Ann. XV, 37 in. (*quo fidem acquireret, nihil usquam perinde laetum, hoc est perinde ut Romam*); Agric. 10 m. (*perhibent, ne uentis quidem perinde attolli*; hoc est *perinde, ut alia maria*): quibus duobus locis est quidem *aposiopesis*, set *apertissima*.

Denique conferri iubeo *Liv.* IV, 37 m. *Haut uana attulere: set nec perinde Patres moti sunt et C. Sempronius omnia temere ac negligenter egit. Respondent sibi nec — et; intellige autem nec perinde, etsi haut uana attulerant.*

Uideant igitur recentiores, qua auctoritate nixi soleant scribere talia: *Sempronium haut perinde amo.* Intelligi quidem uolunt sic: *den Sempronius liebe ich nicht sonderlich*; set uolunt multa, quae noluerunt ueteres.

Non possum, quin oblata hac occasione alterum castigem recentiorum errorem, qui quidem opinentur, significasse uocabulum *perinde* apud Romanos etiam id, quod nos dicimus *einerlei*. Nam quoties hodie talia legimus, audimus: *perinde est, utrum — an*, quanquam ne simulacrum quidem istius usus apud scriptores Latiuos inuenitur! Ac tamen causa huius tam miri erroris (ut originem ipsius erroris iudagemus)

est apertissima. Etenim quod sumpserunt adhuc homines doctissimi, in uocabulo *perinde* inesse notionem *eodem modo*, perperam sumpserunt, siquidem *perinde* nihil aliud significat, nisi *eo modo*. Quocirca potuit accipere *perinde* significationem illam *insofern*: quae haut sane esset consentanea, si in *perinde* inesset notio *eodem modo*. Atque isti, qui *perinde* solent dicere pro nostro *einerlei*, paulo uehementius modo errant, quam qui opinati sunt, *perinde* significare *eodem modo*. Desinant autem homines doctissimi posthac tanto opere abuti illo uocabulo!

C A P U T III.

Porro nullo loco apud *Ciceronem* inuenitur dictio *haut dubie*, quam hodie etiam ei, qui *Ciceronem* se uelle imitari prae se ferunt, semper fere usurpant pro nostro *ohne Zweifel*. Set non solum abstinet *Cicero* illo *haut dubie*, uerum etiam omnino *bis* reperitur in operibus eius *dubie*, scilicet *non dubie ad Fam. XV, 1, 1; dubie d. Diu. I, 55, 124*. Causa, cur summus ille scriptor, quo in talibus rebus rectius scribebat nemo, tam sedulo abstinnerit ea dictione, qua ceteri, qui minus accurate locuntur, saepissime utuntur, non sane est nulla. Quis non uideat, dictionem *haut dubie*, sicut *non dubie*, per se plane aliud quid significare atque *sine dubio*: quod saepe scriptum legimus apud *Tullium*? Rectissime autem loco illo *ad Fam. XV, 1, 1* scripsit *Cicero* sic *Etsi non dubie mihi nuntiabatur, Parthos transisse Euphratem cum omnibus fere suis copiis, tamen statuebam, mihi non necesse esse publice scribere ea, quae de alterius prouincia nuntiarentur*. Significat enim hoc loco *non dubie*, quod unum potest per se significare, id est *non dubia ratione*, ut idem fere sit, quod *certo*, *auf zuverlässige Weise*. At nemo alius scriptor ullo loco dixit *non dubie*. Similiter prorsus *dubie* apud *Ciceronem* semel inuenitur *d. Diu. I, 55, 124 Potest accidere, ut ali-quod signum dubie datum pro certo sit acceptum*.

Mirabuntur autem homines docti, si paulo post docuero, apud *neminem* omnino scriptorem *haut dubie* significare nostrum *ohne Zweifel*.

Sine dubio autem, *ohne Zweifel*, plus uicies inuenitur apud *Ciceronem*, ut *d. Nat. D. I, 9, 23; III, 10, 25; d. Off. I, 29, 102; d. Fin. I, 10, 35; V, 10, 28; Tusc. II, 7, 18; d. Inuent. I, 23, 32; d. Orat. I, 45, 200; 57, 241; 61, 260; III, 57, 215; 60, 224; in Uerr. A. II, l. 1, 2, 6;*

47, 122; *l. II*, 73, 180; in *Cat. II*, 1, 1; *p. Balb.* 24, 56; *ad Fam. II*, 18, 2; *ad Quint. Fr. II*, 2, 3; *ad Att. I*, 19, 2; *X*, 12, 4; *d. Harusp.* 25, 54. Atque uno quidem loco *d. Nat. D. I*, 21, 58 *sine dubio* putabis dictum esse pro *sine dubitatione*. Haec ibi leguntur *Saepe enim de L. Crasso, familiari illo tuo, uideo audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferet et paucos tecum Epicureas o Graecia compararet. Debes tamen hoc sine dubio ita interpretari, ut iusse in eo hanc notionem interpretare mit Bestimmtheit, hoc est, ut dubium non esset, quin anteferet. Ac simillimum quidem locum annotabo infra ex Nepote.*

Restat, ut commemorem, apud *Ciceronem* triginta fere locis inueniri *sine ulla dubitatione* aut etiam *sine dubitatione*, id est, *ohne alles Bedenken, ohne Bedenken*; set praeterea apud *neminem* scriptorem aureae aetatis, nec etiam apud *Tacitum*.

Cf. d. Nat. D. I, 1, 1; *III*, 34, 84 (*sine dubitatione*); *Acad. II*, 29, 94 (sic); *Tusc. III*, 3, 5 (*animi autem, qui se sanari uoluerint praeceptisque sapientium paruuerint sine ulla dubitatione, sanentur. Uix est credibile, adhuc omnis editores distinxisse hoc modo paruuerint, sine ulla dubitatione sanentur. Scilicet iungendum est sine ulla dubitatione cum paruuerint, respiciunturque uerba illa qui curari se passi sunt*); *d. Inuent. II*, 8, 27; *d. Orat. II*, 28, 122; *III*, 49, 188; *Brut. 6*, 25; *Top. 15*, 60 (*sine dubitatione*); in *Uerr. A. II*, *l. III*, 12, 30; 24, 60; *l. IV*, 18, 39 (*Ineptissime uolgo sic Quod ubi iste audiuit, usque eo commotus est, ut sine ulla dubitatione insanire omnibus ac furere uideretur. Quia non potuerat eripere argentum, ipse a Diodoro erepta sibi uasa optime facta dicebat. Quid tandem opinati sunt posse significare isto loco istud sine ulla dubitatione interpretes? Apparet, constituendum esse locum sic commotus est, ut insanire omnibus ac furere uideretur. Sine ulla dubitatione, quia non potuerat eripere argentum, ipse a Diodoro erepta sibi uasa optime facta dicebat. Iungenda sunt enim uerba Sine ulla dubitatione dicebat. Origo transpositionis non est obscura, siquidem coniunxerant ab initio librarii uideretur sine ulla dubitatione; secutus autem librarius, merito offensus in tali eius uocis collocatione, sic transposuit uocem, ut adhuc ediderunt; neque reputauit, ipsum Ciceronem distinxisse hoc pacto uideretur. Sine ulla dubitatione*); *p. Font. 6*, 11; *p. Cluent. 28*, 75; *d. L. Agr. II*, 9, 23 (*sine dubitatione*); in *Cat. IV*, 3, 5; in *Pis. 3*, 6; 21, 50; *Philipp. XIV*, 1, 1; 4, 10; *ad Fam. I*, 5 (b), 2; *ad Att. XI*, 16, 3 (sic); *XIII*, 25,

1; XIV, 13 (B), 5; XVI, 7, 1; 16 (A), 6 et (B) 9; d. *Harusp.* 26, 56 (Ut loco illo in *Uerr.*, sic hoc uolgo ineptissime sic *Repulsos uideamus; nam deteriores qui sint, post docebo. Set tamen in eum cadere hoc uerbum maxime, qui sit unus omnium mortalium sine ulla dubitatione deterrimus, concedendum est.* Pessima enim facta est a librario transpositio hoc etiam loco. Ipse *Cicero* scripsit sic omnium mortalium deterrimus, sine ulla dubitatione concedendum est. Origo autem istius transpositionis eadem est atque illo loco in *Uerr.*); p. *Balb.* 13, 31 (Uolgo sic edunt *Haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quenque iuris et retinendi et dimittendi esse dominum. Illud uero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundauit imperium et populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator huius urbis, Romulus, foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere.* Nihil uidi ineptius. Mihi persuasi uero, ipsum quidem scripsisse *Ciceronem* sic: *Illud uero (dico sine ulla dubitatione) maxime et quae secuntur.*

Praeterea semel in epistola *Ciceronis filii* apud *Cic. ad Fam.* XVI, 21, 1 (*sine dubitatione*).

Recte igitur adhibita critica non iam exstat locus, quo freti possint recentiores contendere, usum esse *Ciceronem* nonnunquam uoce *sine ulla dubitatione* pro *sine dubio*. Atque cum *dubitatio* per se significet nequaquam *der Zweifel*, set potius *das Zweifel*, causam, opinor, perspicias, cur sit *barbarum*, dicere *sine ulla dubitatione, sine dubitatione* pro nostro *ohne Zweifel*, id est, ubi uoles significare, *persuasum tibi esse, esse, uel fuisse, uel fore aliquid*.

Quod apud *Caesarem*, id est, in *Commentariis Caesaris*, neque legitur *haut dubie* nec *sine dubio*, hoc non mirabitur is, qui meminerit, *commentarios* bellorum illum scripsisse, in quibus uix erat locus talibus uocibus. In aliis autem scriptis aut in uita *Caesar* non sane abstinerit uoce *sine dubio*, set tantum, mihi crede, uoce *haut dubie*.

Ne apud *Nepotem* quidem inueni *haut dubie*; *sine dubio* tamen quatuor locis: VIII, 1, 1 (*Si per se uirtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam. Illud sine dubio: neminem huic praefero-fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore.* Ne dixeris, *sine dubio* hoc loco significare *sine dubitatione*; set potius fere certo, mit *Bestimmtheit*, sicut apud *Cic. d. Nat. D.* I, 21, 58); XVII, 7, 1; XX, 1, 1; XXIII, 9, 1.

Apud primum *Salustium* uno loco scriptum uidemus

haut dubie B. I. 102 in. *Postea loci consul, haut dubie iam uictor, peruenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat: quo tamen loco haut dubie nequaquam idem est, quod sine dubio.* Nam cum possit dici *dubie uincere*, id est, *dubia ratione, non certo uincere*, per se rectissimum est *haut dubie iam uictor*, id est, *qui haut dubia ratione iam uicerat, der den Sieg nicht eben auf zweifelhafte Weise davon getragen hatte.* Per se igitur aliud quiddam sonat tale *haut dubie ac sine dubio*, propterea quod dictio *haut dubie* ad ipsam rem, quae narratur, accedit tanquam notio secundaria; *sine dubio* autem separatum ab ipsa re continet loquentis iudicium, de re sibi fere persuasum esse. *Haut dubie* ergo fere significat *satis certo, certo fere.* Quanquam autem est similis hic locus illi *Tulliano ad Fam. XV, 1, 1*, quo dictum erat *non dubie*, tamen neque apud *Ciceronem* pro *non dubie* potuit dici *haut dubie*, et apud *Salustium* etiam *haut dubie* melius et rectius scriptum est, quam *non dubie.* *Salustius* enim si scripsisset *non dubie*, significauisset, *consulem prorsus certam iam uictoriam reportauisse: quod noluit dicere; set tantum, satis certam iam uictoriam consulem reportauisse.* Quare rectissime *Salustius* scripsit *haut dubie*, ac non *non dubie.* Contra *Cicero* loco laudato suo iure scripsit *non dubie*, propterea quod ibi locus nullus erat *fluctuanti* iudicio scriptoris. Etenim *simpliciter* de ea re loquitur, quae pro *certa* ipsi nuntiata erat. — *Sine dubio* apud *Salustium* non inueni.

Apud *Liuium* saepissime, id est, *octoginta fere locis*, legitur, *haut dubie.* Abstinit autem prorsus dictione *sine dubio*, ut non legebatur apud *Caesarem* et *Salustium.* *Semel* quidem scripsit *procul dubio XXXIX, 40 ext. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit: set inuicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae.* Nullo tamen loco potest dici significare *Liuianum haut dubie* idem, quod significat *sine dubio, ohne Zweifel.* Nam si separatum fere ab ipsa re, quae narratur, continet iudicium, non potest reddi nostro *ohne Zweifel*, set grauior inest notio haec *offenbar.* Atque hanc quidem apparet propius abesse a propria illa notione, quae postulat, ut *haut dubie* ad ipsam rem, quae narratur, accedat tanquam notio secundaria, propius, inquam, quam *ohne Zweifel.* *Plerisque* autem locis agnoscitur notio illa *offenbar*; ut I, 13 m. *Id non traditur, cum haut dubie aliquanto numerus maior hoc mulicrum fuerit, aetate, in digni-*

tatibus suis uirorumue, an sorte lecta sint, quae nomina curiis darent. III, 24 in. A. Cornelius et Q. Seruilius quaestores M. Uolscio, quod falsus haut dubie testis in Kaesonem exstitisset, diem dixerant. 38 in. Id uero regnum haut dubie uideri. 53 in. Profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur; quippe liberatores haut dubie et motus initio et exitu rei. IV, 2 m. nunc rogari, ut, seu ex Patribus, seu ex plebe uelit, populus consules creet; et creaturos haut dubie ex plebe seditiosissimum quonque. 23 in. Licinio libros haut dubie sequi linteos placet. Porro I, 9 in.; V, 10 ext.; 33 ext.; 49 ext.; VII, 8 m.; 11 in.; 19 ext.; 32 m.; VIII, 3 m.; 9 ext.; 10 m.; 39 ext.; IX, 16 ext. bis; 26 m.; 29 in.; 40 m.; 44 m.; X, 15 ext.; 21 ext.; XXI, 5 in.; 6 in.; 41 in.; 52 in.; XXII, 14 ext.; 16 in.; 24 in.; XXIII, 29 ext.; 41 in.; XXIV, 6 in.; 7 m.; 17 in.; 31 in.; 36 m.; XXV, 13 ext.; 34 ext.; 40 ext.; XXVII, 17 in.; 49 m.; XXVIII, 16 in.; XXIX, 31 m.; XXX, 25 ext.; XXXII, 22 ext.; XXXIII, 9 ext.; 11 ext.; 31 m.; XXXIV, 2 m.; 43 m.; 60 in.; 61 in.; 62 m.; XXXV, 3 m.; XXXVI, 24 in.; 45 in.; XXXVII, 18 ext.; 24 in.; XXXVIII, 23 ext.; 57 in.; XXXIX, 13 in.; 26 in.; 32 m.; 53 m.; XL, 50 m.; 54 in.; XLI, 19 ext.; XLIV, 30 m.; 34 ext.; 36 ext.; XLV, 12 m.; 40 in. Praeterea nec dubie II, 23 ext..

Sic igitur differunt inter se sine dubio et haut dubie, ut sine dubio plerumque possis interpretari non dubito, quin, contra haut dubio hoc pacto haut dubium est, quin. Apparet ergo, si dicatur haut dubie, non modo ipsum loquentem eloqui suum iudicium, de re aliqua sibi persuasum esse, set profecto, omnino apud omnis de re satis constare. Quare meo iure dixi, haut dubie nunquam significare ohne Zweifel, set potius offenbar. Quanquam autem liberiore quadam dicendi ratione, cuius licentiam optimi scriptores non sibi dederunt, apud Liuium usurpatur dictio haut dubie, et raro sic, ut loco illo Salustiano, ad ipsam rem, quae narratur, accedit tanquam notio secundaria; tamen facile intelligitur, Liuium, ut historicum, consulto abstinuisse uoce sine dubio. Nam cum hac quidem soleat contineri iudicium loquentis, sibi de re aliqua persuasum esse; cunq̄ue historicus non id, quod sibi solum uideatur certum, set id, quod constet satis certum esse, uelit ac debeat narrare: propterea, ut opinor, eam praetulit dicendi rationem Liuius, quae tale quiddam significat, id est, haut dubie, offenbar.

Inueniuntur tamen apud ipsum Liuium pauci loci, quibus haut dubie ad ipsam rem, quae narratur, accedit tan-

quam notio secundaria, ut possit uerti *mit ziemlicher Bestimmtheit*; uelut X, 13 ext. *Populus nihilo minus suffragia inibat; et, ut quaeque intro uocata erat centuria, consulem haut dubie Fabium dicebat.* Sic XXXV, 14 ext. *Exsequenti, quem tertium duceret? haut dubie semet ipsum dixisse.* Sic XL, 42 *Duronius inter exponendas res, quas ibi gessisset, haut dubie in regem Illyriorum Gentium latrocinii omnis maritimi causam auertit.* Uide autem, ne opinere, *haut dubie* his locis *significare sine dubitatione*: quanquam facile concedo, *Ciceronem* fortasse his tribus locis fuisse *scripturum sine ulla dubitatione*, qua quidem uoce *Liuius* abstinuit. Cognatae sunt enim notiones *mit Bestimmtheit* et *ohne Bedenken*, *haut dubie* et *sine dubitatione*; ut is, qui altera utra uolet abstinere dictione, impune fere alteram loco alterius possit usurpare. Est tamen memorandum, *duobus* locis inueniri apud *Liuium* uocem *sine cunctatione*: XXXVI, 14 in. et XLII, 53 ext..

Quod apud *Tacitum* quidem *utraque* uox reperitur et *haut dubie* et *sine dubio*: id non mirabitur is, qui consueuerit comparare aureae aetatis scriptores cum aliquanto inferioribus. Nanque hi, qui legebant illorum opera nec non imitandum existimabant, quodcumque apud ueterem scriptorem, qui optimus Latinitatis auctor habebatur, inuenerant, ita duos aut plures quosdam scribendi modos assumpserunt, etiamsi unusquisque superioris aetatis scriptor unum tantum usurpauisset. *Nouies* igitur inueni apud *Tacitum* uocem *haut dubie*, *semel nec dubie*, ita plane, ut insit significatio illa *offenbar*: nec debet, etiamsi uideatur posse uno altero loco, uerti, quasi sit scriptum *sine dubio*, quod ipsum *sexies* inuenitur apud *Tacitum*. *Haut dubie* legitur Ann. II, 43 m. *credidere quidam, data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haut dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi.* 88 ext. *Arminius dolo propinquorum cecidit, liberator haut dubie Germaniae.* Hist. I, 7 in. *Macrum, in Africa haut dubie turbantem, interfecerant.* 46 ext. *Oiho fiscum suum uacationes annuus exsoluturum promisit, rem haut dubie utilem et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam.* 72 m. apud *Galbam Titi Vinii potentia defensum, praetextentis seruatam ab eo filiam: et haut dubie seruauerat, non clementia, quippe tot interfectis, set effugio in futurum.* III, 86 m. *Reipublicae haut dubie intererat Vitellium uinci.* IV, 27 ext. *Haut dubie gregarius miles Vitellio fidus; splendidissimus quisque in Uespasianum proni.* 80 m. *Trahebatur in diuersa, hinc*

meritis Antonii, cuius ductu confectum haut dubie bellum erat, inde Muciani epistolis. Germ. 28 ext. ipsam Rheni ripam haut dubie Germanorum populi colunt. Nec dubie Ann. IV, 19 ext. Nec dubie repetundarum criminibus haerebant. Contra sine dubio Ann. I, 6 in.; 10 m.; II, 51 ext.; XI, 28 m.; Agric. 45 ext.; Dial. 40 ext..

G A P U T IV.

Confecta iam est prima pars disputationis nostrae, in qua propositum erat ostendere, quando alii scriptores particula *haut* aut *non* aut *rarissime* usi essent, alii *saepenumero*. Sequitur, ut indicem, quoties fere apud quenque scriptorem particula *haut* inueniatur.

Apud *Ciceronem* quinquaginta fere locis, praeterquam quod *totidem* fere locis reperitur in dictione *haut scio an*: omnino ergo *centum* fere locis.

Apud *Caesarem* *haut* non saepius quam *uno* loco reperitur *B. G. V, 54 ext. Idque adeo haut scio mirandumne sit. Nec mirum. Etenim sequitur et ex ipsius particulae significatione et ex indole operum Iulianorum. Scilicet Caesar, quae est eius orationis grauitas in illis operibus, narrat simpliciter, quae sint gesta, nec solet addere suum ipse iudicium.*

Apud *Cornelium Nepotem* tribus locis inueni *haut*: *duobus*, quos supra iam laudaui, ubi scriptum erat *haut ita*; adde *XIV, 4, 4 cognoscit, haut longe abesse profectumque cum uenatum.*

Apud *Salustium* quidem particula nostra plus *triginta* locis reperitur.

Admodum *Liuius* particulam *haut* habuit in deliciis eaque usus est in is libris, quos etiam nunc habemus, plus *sexcenties*.

Apud *Tacitum* quoque saepissime inuenitur *haut*, id est, plus *ducenties et tricies*.

C A P U T V.

Transibo nunc ad illustrandum, quando unus idemque sit usus scriptorum omnium, id est, quando *nemo unquam* scriptor aut, si forte, *rarissime unus alterue* usus sit particula *haut*.

Quod apud *neminem* scriptorem *haut* ita usurpatum est, ut inueniatur *haut solum* — *set etiam*, similia, porro

haut magis quam: sequitur ex ipsius particulae significatione. Scilicet tum postulatur, ut *directe et simpliciter* negetur; prorsus tamen absona est illis locis *fluctuatio* ista, quae inest in *haut*. Eadem est causa, cur non, ut *non — non, non — nec*, sic in usu sit *haut — haut, haut — nec*; deinde cur non inueniantur talia, qualia sunt omnino *haut*, prorsus *haut* pro omnino *non*, prorsus *non*; deinde cur inauditum sit *cur haut* pro *cur non*; deinde cur rarissime in antithesibus sit usurpatum: nullo quidem loco apud *Ciceronem*. Semel post sententiam affirmatiuam in epistola *Bruti ad Ciceronem* apud *Cic. ad Brut. I, 16 in. nunc puerum istum extulit, ut tu iudicares, precibus esse impetrandam salutem talibus uiris, misericordiaeque unius, uix etiam nunc uiri, tutos fore nos, haut ulla alia re*. Ita uolgo apud *Liuium XXXI, 49 ext. questus est, ita triumphum decessisse senatum, ut nullius, nisi eius, qui triumphaturus esset, haut eorum, qui bello interfuissent, uerba audiret*. Set apparet, deberi librario *haut*, quod hoc loco nullo modo potest defendi. In *Bruti* quidem epistola *haut* recte erat dictum propter adiectum *ulla*; set *haut eorum* non potuit dicere homo Latinus in antithesi. *Liuius*, mihi crede, scripsit *ut nullius, nisi eius, qui triumphaturus esset, eorum, qui bello interfuissent, uerba audiret*, ut pendeat *eorum* a *nullius*. Nemo autem librarius offendisset in hoc loco, si scripsisset *Liuius* hoc pacto *ut nullius eorum, qui bello interfuissent, uerba audiret, nisi eius, qui triumphaturus esset*. Nec tamen huc pertinent hi loci *XXXVIII, 18 ext. Id haut magnum quidem oppidum est, set plus, quam mediterraneum, celebre et frequens emporium: ubi haut magnum idem fere est quod satis paruom; et XLV, 28 in. Sicyonem inde et Argos, nobilis urbis, adit: inde haut parem opibus Epidaurum, set inclutam Aesculapii nobili templo: ubi haut parem est fere satis imparem*. Denique duobus locis apud *Tacitum*: *Ann. VI, 30 m. unde fama constans, ausum mittere ad Caesarem litteras, affinitatem sibi cum Seiano haut sponte, set consilio Tiberi coeptam. XIV, 59 ext. set ad senatum litteras misit, de caede Syllae Plautique haut confessus, uerum: utriusque turbidum ingenium esse*. — Iam perraro inuenitur *nisi — haut aut haut — nisi*. Omnino duos mihi annotaui locos, unum ex *Liu. XXVII; 42 in. quod nisi in uetere exercitu et duci ueteri haut facile est; alterum ex Tac. Ann. III, 65 in. Exsequi sententias haut institui, nisi insignis per honestum aut notabili dedecore*. — Apud unum *Liuium* locos, idque tris,

inueni, quibus scripsit aut *haut tam — quam*, aut *haut tantum — quantum*, aut *haut tantum*, ut II, 34 ext. *Haut tam facile dictu est, faciendumne fuerit, quam potuisse arbitror fieri.* XXVII, 48 in. Circa eos laeuo in cornu aduersus Claudium Gallos opponit, *haut tantum iis fidens, quantum ab hoste timeri eos credebat.* IX, 31 in. Ibi quia *haut tantum irarum erat, spe praedae milites accensi, oppido potiuntur.* Porro nemo scriptor ullo loco dixit *haut antequam, haut priusquam.* Cf. cap. 6 ext. ad Cic. ad Att. XIII, 48, 1. Nemo denique *haut raro.* Cf. cap. 9 ext..

C A P U T VI.

Sequitur autem, quoniam iam ostendimus, quando scriptores soleant se abstinere particula *haut*, ut enucleemus, quemadmodum i scriptores, apud quos saepe inuenimus particulam nostram, ut Cicero, Salustius, Linius, Tacitus, pro se quisque ea utantur.

Apud Ciceronem usus particulae *haut* maxime est simplex, maximeque consentaneus et origini et significationi particulae. Afferam primum omnis eos locos, quibus *haut* cum adiectiuis et aduerbiis iunctum est. Sunt autem *triginta* fere.

Cf. d. Senect. 5, 15 (*h. procul*); 23, 82 (*h. maxime*); d. Off. II, 7, 23 (*h. fere quisquam*); III, 30, 110 (*h. facile*); d. Fin. V, 21, 60 (*h. paulo*); Tusc. I, 42, 99 (sic); d. Rep. I, 3, 6 (*h. facile*); II, 31, 55 (*h. mediocris*); d. Leg. II, 6, 15 (*h. deterior*); 18, 45 (*h. satis*); 22, 56 (*h. procul*; ex coniectura Moseri certissima. Lego autem totum locum sic *Eodemque ritu in eo sepulcro, quod haut procul a Fonti ara est, regem nostrum Numam conditum accepimus*); Orat. 44, 151 (*h. paulo*); p. Quint. 3, 13 (*h. mediocriter*); p. Flacc. 33, 82 (*h. uerisimile*); p. Rosc. Am. 5, 11 (*h. remissius*); ad Fam. VII, 1, 3 (*h. paulo*); ad Att. II, 12, 4 (sic); V, 20, 3 (sic); VII, 3, 2 (*h. multum*); VIII, 14, 3 (*h. lepide.* Sic uerissime Decuratus. Scribo autem totum locum sic *De Domitio uaria audimus: modo, esse in Tiburti Lepidi, haut lepide; modo, iam lepidius, accessisse ad urbem: quod item falsum uideo esse.* Inserui igitur lectioni Decurtati cum Schuetzio *Lepidi*; scripsi leuissima mutatione *modo pro quod, iam pro cum.* Ei autem editores, qui neglexerunt uerba *haut lepide*, debebant reputare, ex uno uocabulo *item* perspicere, ea ab ipso profecta esse Cicero. Nam omissis illis desideratur iudi-

cium improbantis *Ciceronis*: quod tamen additum fuisse a *Cicerone*, sequitur ex item); *d. Harusp.* 1, 2 (*h. grauioribus*) 25, 55 (*h. obscurum*); *Frag. F.* 5, §. 88 (*h. paulo*); *ibid.* 14, 6 ext. (*h. ita, ut*), 13 m. (*h. isdem*), 14 ext. (*h. unquam*); *G.* 2, u. 333 (*h. nimio*) et u. 346 (*h. ita uero*); *ibid.* 3, u. 185 (*h. modicos*). Praeterea duodecim locis *haut sane*, ut *d. Nat. D. H.* 2, 4 (*h. sane intelligo*); 55, 138 (*h. sane difficile*); *d. Senect.* 2, 4 (*h. sane difficilem*); 23, 83 (*h. sane facile*); *d. Off.* II, 2, 5 (*h. sane intelligo*); *Tusc.* III, 1, 2 (*h. erat sane, quod*); V, 40, 118 (*h. sane periculum est*); *d. Leg.* II, 7, 16 (*h. sane abhorrebunt*); *d. Orat.* III, 31, 125 (*h. sane requireret*); *Part. Orat.* 25, 89 (*h. sane egeremus*); *ad Att.* X, 8, 8 (*h. sane multum*); *Frag. F.* 14, 3 m. (*h. sane mirum*).

Attendum est autem maximo opere, *Ciceronem nunquam* particulam *haut* coniunxisse cum is adiectiuis aut aduerbiis, quae cum particula aliqua negante, siue separabili siue inseparabili, sunt iuncta; uelut *dissimilis, dissonus, difficilis, absonus, degener, infelix, infidelis*, similibus: set tum semper uti eum particula *non*, ut *d. Nat. D.* III, 19, 50 (*n. inurbane*); *d. Diu.* I, 13, 23 (*n. dissimilem*); II, 13, 30 (*n. inscite*); *d. Inuent.* II, 3, 11 (*n. indiligenter*); *d. Orat.* II, 54, 217 (*n. inurbano*); *Brut.* 25, 95 (*n. indisertus*); 26, 101 (*n. ineleganter*); *in Caec.* 21, 67 (*n. inertissimum*), aliis locis. Duobus quidem locis, modo laudatis, dixerat *Cicero haut sane difficilis*; ueruntamen cum interpositum sit *sane*, non *sane* ex is locis sequitur, *Ciceronem* dixisse *haut difficilis*. Similiter prorsus apud *Ciceronem* nullo loco inuenitur *haut nescius*, quanquam saepe, id est, sex locis, *non nescius*, ut *d. Fin.* I, 1, 1; *d. Orat.* I, 11, 45; *ad Att.* XVI, 15, 2; *ad Fam.* XIII, 7, 1; *p. Deiot.* 3, 8; *p. Syll.* 9, 28. Apud *Liuium* quidem semel inueni *haut nescius* XXVII, 7 m., ut ter apud *Tacitum Ann.* II, 55 m.; IV, 50 ext.; XV, 68 ext.; semel etiam *non nescius* apud *Liuium* XLIII, 13 in.. Porro *Cicero* nullo loco dixit *haut sine*, set semper *non sine*, uelut *d. Amic.* 17, 63; *Tusc.* III, 6, 12; IV, 20, 45; *in Uerr. A.* II, l. IV, 9, 20, aliis locis. Apud *Liuium* quidem quingies inuenitur *haut sine* V, 22 in.; VI, 38 ext.; XXI, 35 in.; XXII, 44 in.; XXIII, 6 ext.; semel apud *Tacitum Ann.* XIII, 42 in.. Similiter *Cicero* semper dixit *non grauato* (quos locos attuli *p. Arch.* p. 68), *nunquam haut grauato*.

De causa quidem, cur noluerit *Cicero* dicere *haut dissimilis*, *haut inurbane*, *haut nescius*, *haut sine*, *haut grauate*, difficile est iudicare, quoniam talia pendent ex iudicio eius, qui scribit, non ex ipsarum particularum propria indole. Fortasse tamen sic ratiocinatus est *Cicero*, propterea non posse bene dici *haut dissimilis*, similia, quod ad tollendam notionem aliquam negatiuam requireretur particula *simpliciter* negans, non ea, quae cum *fluctuatione* aliqua negaret.

Uenio ad paucos eos locos, quibus *haut* apud *Ciceronem* cum *uerbis* est iunctum.

Cf. *d. Nat. D.* II, 21, 57 (*h. errauero*); *d. Rep.* I, 15, 23 (*h. dubitauit*); *Tusc.* V; 12, 35 (*h. scio*); *d. Leg.* III, 11, 26 (*h. assentior*); *p. Mil.* 25, 68 (*h. dubitans*); *ad Att.* XIV, 12, 2 (*h. amo*); *Frag.* G, 2, u. 356 (*h. patitur*). Atque ut *nullus* erat locus, quo legeretur *haut ignarus*, similia, sic *semel* tantum inueni *haut ignoro d. Diu.* II, 39, 82, nec ullo alio loco quicquam simile.

Praeterea autem locis *permultis*, id est, *quingquaginta* fere, *haut* apud *Ciceronem* inuenitur in dictione *haut scio an*, uelut *d. Nat. D.* I, 2, 4; II, 4, 11; *d. Diu.* I, 38, 81; II, 72, 150; *d. Senect.* 20, 73; *d. Amic.* 12, 43; 14, 51; *d. Off.* I, 11, 33; 21, 72; 37, 132; III, 29, 105, ceteris locis, quos nihil attinet hoc quidem loco afferre. Nec profecto cadit illa notio *fluctuandi*, quae inest in particula *haut*, in ullam uocem uerius, quam in *haut scio an*.

Restat, ut dicam de aliquot locis *Tullianis*, quibus ex praua coniectura uel librariorum uel criticorum orta est particula *haut*.

Cf. *d. Diu.* I, 57, 129 *Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat (ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti optent quid aut uoueant, non dubitent, quin di illud exaudiant): sic animi hominum cernunt ea, quae permixti cum corpore animi uidere non possunt. Pro non dubitent, quod plerique editores cum plerisque sine dubio codicibus ediderunt, exstat uaria lectio haut dubitent, quam cum Ascensiana et Cratandrina receperunt Mauitius et Lambinus, eamque commendauit Orellius. At non reputauerunt homines doctissimi, prorsus abhorreere ab granitate huius loci notionem particulae haut, quae est nicht eben. In hunc locum apparet tantum cadere particulam non, quae simpliciter negat.*

Cf. *ad Att.* VII, 15, 2 *Omnes cupiebant, Caesarem, abductis praesidiis, stare condicionibus is, quas tulisset. Uni*

Fauonio leges ab illo nobis imponi non placebat: set is auditus in consilio. Cato enim ipse iam seruire, quam pugnare, mauolt. Sic Mediceus; set cum Decurtato Bosius et secuti editores omnes ante auditus inseruerunt haut: quod contendo male factum esse. Nam si reuera esset iuserenda hoc loco particula negatiua, profecto debebat inseri non; non tamen haut. Quid est enim hoc loco jedoch man hörte ihn in der Versammlung nicht eben an, nel jedoch man billigte ihn nicht eben in der Versammlung? Uix est autem credibile, tot editores non uidisse, uerissimam esse lectionem Medicei. Nos uerteremus jedoch man that in der Versammlung weiter nichts, als ihn anhören. Hoc facete dictum cum non intellexisset librarius Decurtati, set potius intercidisse particulam negatiuam esset opinatus, criticum egregie sibi uisus est agere, si propter uocabulum auditus insereret haut.

Cf. ibid. XIII, 48, 1 Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. Mortuus enim Babullius. Caesar, opinor, ex uncia (etsi nihil adhuc); set Lepta ex triente. Ueretur autem, ne non liceat tenere hereditatem; ἀλόγως omnino, set ueretur tamen. Is igitur si accierit, accurram; sin minus, antequam necesse erit. Sic corrupte codices. Editores quidem plerique de coniectura Manuti ante antequam inseruerunt haut. Opinati sunt enim, propter litteras ant facillime intercidere potuisse haut. At primum barbarum est haut antequam, siquidem nemini uuquam scriptori in mentem uenit coniungere haut cum antequam aut priusquam. Uix enim potest cogitari nicht eben bevor, set tantum nicht bevor. Accedit, quod in uolgata ista lectione, etiamsi substitutas non pro haut, sententia inest ineptissima. Apparet enim, hoc et uoluisse et debuisse Ciceronem dicere Is igitur si accierit, accurram; sin minus, manebo in Tusculano. Certissimam igitur esse omnes sibi persuadebunt coniecturam meam neutiquam pro corrupto antequam. Alios locos, quibus Cicero dixit neutiquam, infra in cap. 10 laudabo.

Cf. ibid. XVI, 1, 4 De Sexto, pro certo habebatur, ad arma. Quod si uerum est, sine bello ciuili uideo seruiendum. Sic corrupte optimi codices Decurtatus, Tornaesianus, Mediceus. Cum Crusellino igitur Bosius et secuti editores omnes pro ad arma scripserunt haut arma, non reputantes, propriam notionem particulae haut, id est, nicht eben, prorsus non conuenire cum uerbis pro certo habebatur. Apparet autem, librarium, qui pro ad scripserit haut, intellexisse, non cohaerere uolgatam lectionem ad arma cum proximis uerbis sine bello ciuili. At originem quidem

corruptelae adhuc nemo perspexit; set haeserunt homines docti in uerbis sanissimis *ad arma*, atque adeo peruerterunt totius loci sententiam. Etenim *uenturam esse rem ad arma, pro certo habebatur*: quod idem paulo post Cicero ad *Atticum* scribit 3, 4 *Multa me mouent in discessu, in primis mehercule, quod diiungor a te. Mouet etiam navigationis labor, alienus non ab aetate solum nostra, uerum etiam a dignitate; tempusque discessus subabsurdum. Relinquimus enim pacem, ut ad bellum reuertamur; quodque temporis in praediolis nostris et belle aedificatis et satis amoenis consumi potuit, in peregrinatione consumimus.* Corruptela autem latet in uerbis *Quod si uerum est, sine bello ciuili uideo seruiendum*: quam non sane emendauerunt, qui pro *sine bello* scripserunt non *sine bello*. Tam pueriliter enim non solet loqui Cicero. Certissima emendatione pro *sine bello* scribo *in bello*, quod quam facile hoc loco potuerit corrumpi in *sine bello*, iam docebo. Ex hac enim scriptura *uerumstinbello* cum ortum esset *uerum sine bello*, postea, ut assolet, addiderunt librarii *est*. Sic uidelicet orta est praua ista lectio *uerum est, sine bello*. Relicuum est, ut loquar de loco illo XV, 29, 1, ubi uolgo sic edunt *De Planco et Decimo, sane uelim. Sextum scutum abiicere nolebam*: quo quidem Bosius in annotatione ad nostrum locum abusus est ad confirmandam lectionem *haut arma*. Annotauit autem Bosius haec „Idem Cicero significarat epistola ultima libri superioris, cum scriberet: *Sextum scutum abiicere nolebam*.“ Hanc autem lectionem uolgatam ne latinam quidem esse, homines doctissimi debebant perpendere; nam *nolebam* pro *nollem* uel potius pro *uolim* nego esse Latinum. Set ne codices quidem optimi consentiunt in ista lectione, siquidem Decurtatus et Mediceus plane omittunt *nolebam*, quod tuentur Crusellius et Tornaesianus. Omissionem uocabuli ita commendat Orellius, ut in uerbis istis *Sextum scutum abiicere* dicat inesse exclamationem indignantis: quae tamen prorsus abhorret ab sententia huius loci; nam uult Sextus nihil minus, quam scutum abiicere. Manutius ille dudum egregie intellexerat, constituendum esse totum locum sic *De Planco et Decimo, sane uelim, Sextum scutum abiicere*. Uertas *Des Plancus und Decimus halber wünschte ich wohl, dass Sextus den Schild von sich würfe*. Uoluisse autem id *Ciceronem* ideo de Planco et Decimo existimat Manutius, ut laus defensae reipublicae ad Plancum et Decimum, sibi amicissimos, perueniret. Quid ergo faciamus de corrupto illo uerbo *nolebam*, quod alii codices optimi addunt, alii omittunt? Scribamus mutatione leuissima atque

COMMENTATIO I. CAP. VII. VIII. 147

emendatione certissima *nolebat*: ut intelligatur uidelicet Sextus. Hoc idem significauerat *Cicero* paucis diebus ante in epistola 22 *m. Ego autem scripsi, Sextum aduentare, non quo iam adesset, set quia certe id ageret ab armisque nullus discederet. Certe, si pergit, bellum paratum est.*

C A P U T VII.

Salustius nullo loco, aut, si forte, *uno*, cum plus *tricies* particula *haut* apud eum inueniatur, ita eam usurpauit, ut cum *uerbo* coniungeret; set *semper*, *uno* illo loco excepto, iunxit cum *adiectiuo* aut *aduerbio*. *Unus* ille locus legitur *B. I. 110 ext. Praeterea si quid meque uobisque dignum petiueris, haut repulsus abibis.* Set ut ab hoc quoque loco absit notio *uerbi*, possis dicere, in *uerbis haut repulsus* inesse sententiam *haut cum repulsa*. Laudabo autem omnis locos, quibus apud *Salustium* reperitur *haut*: ac primum quidem eos, quibus ipsa *adiectiua* aut *aduerbia* non sunt iuncta cum praepositione aliqua *negatiua*; ut

B. C. 3 in. (h. absurdum); 13 ext. (h. facile); 23 in. (h. obscuro); 25 m. (h. facile) et ext. (h. absurdum); 37 ext. (h. sane alio); 44 in. (h. facile); 51 in. (sic); 52 in. (sic); 53 ext. (h. sane quisquam); 60 m. (h. timide); B. I. 17 in. (h. facile) et m. (h. saepe); 18 m. (h. procul); 21 in. (h. longe); 31 ext. (h. saepe); 36 in. (h. longe); 42 in. (h. satis); 47 in. (h. longe); 53 m. (h. procul); 55 m. (h. longe); 79 m. (h. secus); 82 in. (h. procul); 88 m. (sic); 89 m. (h. longe); 92 in. (h. secus) bis (h. longe); 93 in. (h. procul); 101 in. (h. longe); 102 in. (h. dubie); 106 in. (h. procul); 113 ext. (sic).

Secuntur loci, ubi sunt iuncta *adiectiua* aut *aduerbia* contra *Ciceronis* consuetudinem cum praepositione *negatiua*.

B. C. 14 ext. (h. difficulter); B. I. 28 m. (h. ignarus); 36 ext. (sic); 89 m. (h. dissimiliter).

C A P U T VIII.

Similiter prorsus apud *Liuium* terminatus est usus particularum *haut* et *non*, ut *haut* cum *adiectiuis* et *aduerbiis*, *non* cum *uerbis* coniungatur. Set uidebimus, quae sint huius regulae exceptiones, id est, ubi *non* cum *adiectiuis* aut *aduerbiis*, *haut* cum *uerbis* coniungatur.

Loci, quibus apud *Liuium* non cum adiectiuis aut aduerbiis inuictum legitur, hi sunt, triginta fere.

non contenti = I, 23 ext.; VI, 11 ext.; XXVIII, 27 ext.; XLIII, 9 ext.; XLV, 4 in.

non diuturna = III, 33 in..

non maxima = III, 51 in..

non inutiliter = III, 51 in.; XXIII, 11 m..

non obscure = V, 48 ext..

non callido = XXII, 22 m..

non hostiliter = XXIII, 14 m.; XXXII, 38 ext..

non dubia = XXV, 35 in.; XXXI, 42 m.; XXXVII, 35 m.; XXXIX, 28 in..

non tutissimum = XXVIII, 25 ext..

non alienus = XXIX, 37 ext.; XXXVI, 35 m.; XXXIX, 2 in..

non nescius = XLIII, 13 in..

non ita multos = XXXI, 42 ext.; XXXV, 11 in.; 50 ext..

non incertus = XXXIII, 10 ext..

non digna = XXXIX, 9 ext..

non necessariam = XLII, 59 ext..

non inconsultam = XLIV, 6 in..

non securus = XLV, 19 m..

Neminem fugiet, cur toties dixerit *Liuius* uerbi causa *non contentus* ac non *haut contentus*. Nam cum tali uocabulo, quale est *contentus*, saepius profecto ea particula debeat coniungi, quae *simpliciter* negat, esse aliquem *contentum*, quam *haut*, quae significaret, *non ferme* aliquem *contentum* esse. Sic ceteris quoque locis uisum debet esse *Liuius* melius dici *non* quam *haut*: et sane in talibus rebus liberum est iudicium eius, qui scribit, atque cum causa certe in plerisque *Liuius* decessit de sua regula.

Supra cap. 5 ext. uidebamus, uno tantum loco apud unum *Liuium* inueniri *haut tam — quam*, uno apud eundem *haut tantum — quantum*, uno *haut tantum*. Decessit igitur rursus de sua regula, quod ceteris locis omnibus dixit *non tam — quam*, uelut I, 18 in.; 56 m.; II, 27 m.; 43 ext.; III, 11 ext.; 35 m.; IV, 24 in.; VI, 22 in.; VII, 16 ext.; 20 ext.; VIII, 19 in.; 33 m.; X, 10 ext.; multis aliis locis; porro *non tantum — quantum* XXXVI, 34 ext.; XXXVIII, 17 m.; denique *non tantum* X, 14 ext.; 26 m.; XXI, 46 in.. Id fecit autem rectissime; nam istis locis uix locum habet particula ista iudici *fluctuantis*.

Uenio ad *comparatiuos*: quorum cum plerisque quod non iunxit *Liuius haut*, non potest esse mirum. Nam si *comparatiuo* loqueris, postulatur quodammodo, ut *simpliciter* neges, si uoles negare: propterea quod tum plerumque nihil aliud te oportet significare, uisi illam unius rei relationem ad alteram; nec tamen solet requiri tuum ipsius iudicium.

Quare, ut apud ceteros scriptores, sic apud *Liuium* tantum reperitur *non magis quam*, et quidem plus *quingenta* locis, uelut I, 28 *in.*; II, 11 *in.*; 29 *m.*; 46 *in.*; III, 27 *ext.*; V, 52 *in.*; VI, 38 *m.*; VII, 4 *in.*; ceteris locis; *nullo loco haut magis quam*. Uno quidem loco *haut magis* III, 24 *m.*. Similiter *septem* locis *non maior quam* V, 1 *in.*; XXIII, 35 *m.*; XXV, 36 *ext.*; XXVI, 18 *ext.*; 44 *in.*; XLIII, 33 *ext.*; XLIV, 1 *ext.*; *ter* tantum *haut maior quam* V, 49 *m.*; X, 17 *m.*; XXVIII, 7 *m.*. Propterea *semper*, ut ceteri, sic *Liuius* scribit *non priusquam*, idque *nouem* locis I, 12 *in.*; V, 46 *ext.*; VI, 29 *m.*; XXII, 59 *m.*; XXVIII, 34 *m.*; 42 *in.*; XXXIV, 61 *in.*; XXXVI, 45 *m.*; XXXVII, 34 *in.*; *nullo loco haut prius*: atque cum aliis etiam *comparatiuis*, ut *acrior* II, 1 *ext.*; XXIX, 18 *m.*; *diutius* II, 48 *m.*; IV, 42 *ext.*; *celerius* XXII, 29 *in.*; *atrocior* XXIV, 28 *in.*; XLII, 8 *in.*; *facilior* XXV, 23 *m.*; *iucundior* XXVIII, 39 *m.*; *laticior* XXXVI, 15 *m.*; *segnior* II, 43 *in.*; IV, 29 *in.*; IX, 40 *in.*; *foedius* III, 72 *ext.*, *plerumque* coniungit *non*; *raro haut*, ut V, 28 *m.* (*h. incertius*); VI, 33 *m.* (*h. segnior*); VII, 26 *m.* (*h. indigniorem*); XXVII, 18 *in.* (*h. facilior*); XXVIII, 17 *in.* (*h. grauius*).

In *tribus* tamen *comparatiuis*, in *plus* et *amplius* atque *minus* non placuit *Liuius* seruare illam suam regulam. Uix enim saepius inuenies *non plus*, ut I, 17 *m.*; 27 *m.*; IV, 52 *ext.*; V, 9 *in.*; X, 7 *m.*; 35 *in.*; XXII, 41 *in.*; XXIX, 27 *ext.*; XXX, 12 *in.*, quam *haut plus*, ut I, 23 *in.*; XXI, 7 *ext.*; XXIII, 44 *in.*; XXVI, 49 *in.*; XXVII, 1 *ext.*; XXVIII, 1 *in.*; 14 *m.*; XXIX, 32 *ext.*. Atque adeo *semel* tantum inuenitur *non amplius* XXX, 27 *ext.*; *septies haut amplius* XXVIII, 2 *m.*; 3 *ext.*; XXIX, 29 *in.*; 32 *in.*; XXXIII, 17 *m.*; XLI, 1 *ext.*; XLV, 44 *ext.*. Similiter utrumque et *haut minus* et *non minus* *triginta* fere locis apud *Liuium* inuenies; uelut *haut minus* I, 10 *in.*; 15 *m.*; 21 *ext.*; II, 40 *ext.*; 52 *in.*; 60 *m.*; III, 7 *m.*; 44 *in.*; V, 15 *m.*; VI, 42 *m.*; VII, 5 *m.*; 8 *ext.*; 33 *in.*; 38 *in.*; 40 *in.*; VIII, 25 *ext.*; 35 *ext.*; IX, 17 *m.*; XXI, 22 *in.*; XXII, 15 *in.*; 52 *ext.*; XXIII, 24 *ext.*; XXVI, 50

ext.; XXVII, 25 *in.*; 44 *in.*; XXVIII, 11 *in.*; XXX, 11 *in.*; XXXI, 18 *in.*; XL, 17 *in.*; XLII, 16 *in.*; non minus I, 32 *ext.*; II, 61 *ext.*; III, 51 *in.*; IV, 19 *ext.*; V, 27 *in.*; 52 *in.*; VIII, 10 *in.*; X, 7 *ext.*; XXII, 59 *ext.*; XXIX, 34 *ext.*; XXX, 45 *in.*; XXXII, 16 *m.*; XXXIII, 13 *ext.*; 44 *m.*; XXXIV, 16 *in.*; 52 *in.*; XXXV, 1 *in.*; XLI, 22 *in.*; XLII, 28 *m.*; 39 *in.*; XLIV, 36 *in.*; XLV, 1 *ext.*; 10 *m.*

Locis, quibus *haut* contra *Liui* consuetudinem cum uerbis iunctum est, sunt hi fere quinquaginta.

haut dubito = *Prim. m.*; II, 64 *m.*

haut poenitet = I, 8 *in.* et *ext.*; 35 *in.*; IX, 42 *ext.*

haut aspernatur = I, 23 *m.*; XXXVII, 19 *in.*

haut displicet = I, 23 *ext.*

haut abnuat = I, 56 *m.*; V, 33 *in.*; VIII, 18 *m.*;

IX, 17 *in.*; 26 *m.*; X, 3 *m.*; 10 *m.*; XXVIII,

18 *in.*; 21 *m.*; XXIX, 5 *m.*; XXX, 29 *ext.*

haut desperandum esse = II, 46 *in.*; XXI, 13 *ext.*

haut grauatus = III, 4 *in.*

haut dissimulando = III, 36 *in.*; XXVIII, 43 *m.*

haut aduersante = IV, 12 *m.*

haut spernendos = IV, 20 *ext.*; VI, 34 *m.*; X,

40 *m.*; XXV, 23 *ext.*

haut desistebant = V, 30 *in.*

haut miror = V, 34 *m.*

haut abhorrente = IX, 30 *m.*; XXIX, 6 *m.*

haut discrepat = IX, 46 *in.*; XXV, 28 *in.*

haut diffidebat = XXI, 53 *m.*

haut inuideo = XXII, 59 *m.*

haut absistens = XXIV, 20 *ext.*; XXXII, 35 *m.*

haut fefellit = XXIV, 41 *m.*

haut contemnendis = XXIX, 4 *ext.*

haut negauerim = XXX, 30 *ext.*

Praeterea his locis

haut sinebant = III, 11 *in.*

haut scio an = III, 60 *in.*; IX, 15 *ext.*

haut memorando = VII, 18 *in.*; VIII, 40 *in.*

haut subiiciendam = VII, 25 *ext.*

haut quieturum = XXXIII, 49 *in.*

Nemo non uidet, in plerisque horum uerborum, quibuscum contra consuetudinem suam *Liuius* iunxit *haut*, inesse notionem *negatiuam*. Quare putandus est *Liuius* ita ratiocinatus esse, facilius cum eiusmodi uerbis posse coniungi particulam illam *fluctuantis* iudici, quam cum uerbis *affir-*

matius, ut sunt *sinere*, *scire*, *memorare*, *subiicere*, *quiescere*.

Restat, ut commemorem, apud *Liuium haut* omnium saepissime inueniri in uoce *haut procul*, id est, plus *centies*, uelut I, 5 *ext.*; 25 *m.*; II, 13 *m.*; 26 *ext.*; 52 *in.*; III, 22 *m.*; 23 *in.*; 26 *in.*; IV, 10 *m.*; 17 *ext.*; V, 4 *ext.*; 12 *m.*; 18 *ext.*; 28 *in.*; 34 *ext.*; 45 *in. et m.*; VI, 16 *ext.*; 28 *in.*; VII, 11 *in.*; 14 *m.*; 37 *m.*; 39 *m.*; VIII, 8 *ext.*; 19 *m.*; 22 *in.*; 24 *in.*; IX, 2 *in.*; 21 *in.*; 26 *in.*; 32 *in.*; 38 *in.*; X, 2 *m.*; 4 *in.*; 18 *in.*; 25 *in.*; 26 *m.*; 34 *m.*; 37 *in.*; XXI, 5 *m.*; 27 *ext.*; 61 *in.*; XXII, 12 *in.*; 19 *m.*; XXIII, 1 *ext.*; 18 *in.*; 40 *in.*, ceteris locis; plus *octogies* in uoce *haut dubie*: quos locos supra cap. 3 attulimus; *quadragies* fere in uoce *haut secus*, uelut II, 30 *ext.*; 41 *m.*; III, 23 *in.*; 34 *ext.*; 35 *ext.*; V, 36 *ext.*; 41 *m.*; VII, 13 *m.*; VIII, 8 *ext.*; 9 *ext.*; 39 *m.*; XXII, 17 *in.*; 41 *m.*; 53 *ext.*; XXIII, 41 *ext.*; XXVI, 49 *ext.*; XXVII, 44 *ext.*; 51 *ext.*; XXVIII, 15 *in.*; 32 *in.*; 37 *in.*; XXIX, 27 *ext.*; XXXI, 35 *ext.*, ceteris locis; *undecies haut sane*, ut XXI, 29 *in.*; 32 *ext.*; XXII, 40 *in.*; XXIV, 8 *ext.*; 37 *in.*; XXVIII, 43 *in.*; XXIX, 2 *in.*; 31 *in.*; XXXIV, 15 *ext.*; 25 *m.*; XXXVI, 14 *in.*; *quinquies haut sine*: quos locos attuli cap. 6; *decies haut quisquam*, ut I, 46 *in.*; II, 3 *in.*; 56 *m.*; III, 38 *ext.*; 54 *in.*; 57 *ext.*; 72 *ext.*; VIII, 3 *ext.*; 29 *ext.*; IX, 36 *in.*; *quinquies haut ullus*, ut VII, 28 *m.*; 37 *m.*; VIII, 23 *in.*; XXIV, 13 *in.*; XXV, 1 *in.*; *semel haut unquam* VIII, 20 *in.*; *semel haut usquam* XXI, 31 *m.*; plus *uicies haut ita*: quos locos laudani cap. 2; *semel X*, 32 *ext. haut omnino*. Adde locos, ubi cum *comparatiuis* et cum *uerbis* iuncta est particula *haut*.

Promiscue cum aliis *adiectiuis* et *aduerbiis* cuiuscunque generis iunctum reperitur plus *ducenties*, uelut *Prim. ext.* (*h. magno*); 1, 2 *in.* (*h. grauatim*); 3 *in.* (*h. nihil*); 20 *in.* (*h. alienum*); 27 *in.* (*h. bene*); 30 *m.* (*h. parum*); 31 *in.* (*h. aliter*); 32 *in.* (*h. satis*); 33 *ext.* (*h. paruum*); 36 *ext.* (*h. tantis*); 41 *m.* (*h. alter*); 46 *in.* (*h. dubium*); 50 *in.* (*h. mirum*); 52 *in.* (*h. difficulter*); II, 1 *in.* (*h. immerito*); 32 *ext.* (*h. segne*); 40 *ext.* (*h. ultra*); 42 *in.* (*h. diuturna*) et *ext.* (*h. rite*); 45 *m.* (*h. aegre*); III, 2 *in.* (*h. dubia*) et *m.* (*h. multum*); 35 *in.* (*h. satis*); 37 *in.* (*h. indignis*); 38 *m.* (*h. ignari*); 43 *in.* (*h. inultum*); 48 *in.* (*h. inscium*); 49 *m.* (*h. imparos*); 70 *in.* (*h. segniter*), ceteris locis, quos nihil attinet laudare omnis.

Tandem, opinor, apparebit, cur *semper* fere *Liuius* usus sit dictione *haut ita*, et tam *raro non ita*; uidelicet quia solet *Liuius non* coniungere cum *uerbis haut* cum *adiectiuis* et *aduerbiis*.

C A P U T IX.

Denique *Taciti* quoque locos omnis indicabo; ac primum quidem, ubi *adiectiua* aut *aduerbia* non sunt iuncta cum *praepositione negatiua*.

*Ann. I, 13 in. (h. multum); 23 in. (sic); 44 m. (sic); 45 in. (h. minor); 60 ext. (h. procul); 68 in. (h. minus); 70 m. (sic); II, 11 in. (h. imperatorium); 34 in. (h. minus); 36 in. (h. dubium); 41 ext. (h. prosperum); 45 m. (h. minus); 48 in.; (sic); 60 ext. (sic); 62 in.; (h. leue); 63 ext. (h. multo); 70 in. (h. minus); 73 in. (h. multo); 78 in. (h. magna); 81 in. (h. procul); 83 m. (h. facile); III, 8 in. (h. trucem); 11 ext. (h. alias); 14 ext. (h. minus); 20 ext. (h. procul); 22 in. (h. facile); 24 in. (h. multum); 27 ext. (h. longum); 33 in. (h. frustra); 34 ext. (h. aequo); 35 ext. (h. intus); 48 ext. (h. laeta); 64 m. (h. procul); IV, 1 ext. (h. minus); 5 m. (h. procul); 17 in. (h. unquam); 20 ext. (h. minus); 33 in. (h. diuturna); 47 in. (h. aegre) et ext. (h. procul); 58 ext. (h. forte); 65 in. (h. absurdum); 69 in. (h. minus); 70 in. (h. obscure); 71 m. (h. procul); V, 3 in. (h. multum); VI, 20 in. (sic); 23 in. (h. dubium); 26 in. (sic); 29 m. (h. minus); 30 m. (h. sponte); XI, 7 ext. (h. frustra); 25 ext. (h. multo); 32 m. (h. segniter) et ext. (h. satis); 37 m. (h. concors); XII, 4 in. (h. multum); 24 in. (h. absurdum); 32 m. (h. procul); 37 ext. (sic); 57 in. (h. satis); 58 m. (h. procul); 64 ext. (h. minus); XIII, 13 m. (h. procul); 44 in. (h. ambiguus); XIV, 5 in. (h. procul); 14 in. (h. promiscue); 15 in. (h. uirilis); 24 m. (h. procul); 32 m. (h. amplius); 42 in. (h. multo); 62 in. (h. minoris); XV, 41 in. (h. promptum); 46 in. (h. alias); 51 ext. (h. falsa); XVI, 10 in. (h. minus); 14 in. (h. segnis); *Hist. I, 5 m. (h. minus); 7 in. (h. dubia); 36 in. (sic); 39 in. (h. laeta); 46 ext. (h. dubia); 62 ext. (sic); 69 in. (h. facile); 73 ext. (h. obscure); 81 m. (h. secus); II, 1 ext. (h. dubium); 2 in. (h. longum); 6 m. (h. prospere); 22 ext. (h. alie-**

num); 23 in. (*h. procul*); 45 in. (*h. ambigua*); 79 in. (*h. dubium*); III, 17 in. (*h. plures*); 42 m. (*h. procul*); 51 ext. (*h. absurdae*); 59 in. (*h. dubium*); 69 in. (*h. promptum*); 75 in. (*h. sane*); 77 ext. (*h. parua*); 78 m. (*h. facile*); 79 ext. (*h. procul*); IV, 2 ext. (*h. minus*); 16 m. (*h. procul*); 18 in. (*h. longe*); 22 in. (*h. procul*); 27 in. (sic); 36 in. (sic); 50 in. (sic); 52 m. (*h. aequae*) et ext. (*h. amplius*); 64 m. (*h. facile*); 68 m. (*h. alienum*); 71 ext. (*h. ita, ut*); 83 ext. (*h. ambigua*); V, 1 ext. (*h. procul*); 3 ext. (sic); 7 in. (sic); Germ. 23 ext. (*h. minus*); Agric. 9 ext. (*h. semper*); 11 ext. (*h. multum*); 18 in. (sic); 19 in. (*h. minus*); 20 in. (sic); 24 m. (*h. multum*). Huc pertinent ei loci, supra cap. 2 et 3 laudati, ubi dixit Tacitus *haut perinde, haut dubie*.

Deinde, ubi *adiectiua* aut *aduerbia* sunt iuncta cum *praepositione negatiua*.

Ann. I, 53 ext. (*h. indignus*); II, 5 in. (*h. ingratum*); 39 in. (*h. dissimili*); 55 m. (*h. nescium*) et ext. (*h. inuito*); 74 m. (*h. dissimili*); IV, 25 ext. (*h. inulta*); 50 ext. (*h. nescio*); V, 10 in. (*h. dispari*); VI, 26 ext. (*h. ignotis*); 32 ext. (*h. ignarus*); 37 m. (*h. inglorius*); XI, 27 in. (*h. ignarus*); XII, 9 m. (*h. dispari*); 19 in. (*h. degenerere*); 35 m. (*h. difficulter*); 51 ext. (*h. degener*); 67 ext. (*haut ignarus*); XIII, 42 in. (*h. sine*); XIV, 50 in. (*h. dispari*); XV, 68 ext. (*h. nescium*); XVI, 20 in. (*h. ignota*); Hist. I, 66 in. (*h. ignari*); II, 55 ext. (*h. immoderate*); IV, 23 ext. (*h. ignari*); V, 23 in. (*h. indecore*).

Iam ubi cum *uerbis affirmatiuis* coniunctum est.

Ann. I, 15 ext. (*h. permissum*); 62 m. (*h. probatum*); II, 4 in. (*h. tolerauere*); 7 ext. (*h. uisum*); 35 in. (*h. proferrem*); 40 ext. (*h. quaesitum*); III, 65 in. (*h. institui*); V, 6 ext. (*h. discreuerim*); VI, 38 ext. (*h. perpessus*); 43 in. (*h. concelebrauerant*); 45 m. (*h. dedicauit*); XI, 24 in. (*h. permotus*); XII, 54 in. (*h. obtemperatum*); 55 ext. (*h. patiebantur*); 69 ext. (*h. recitatum*); XIII, 30 m. (*h. creditus*); XIV, 1 m. (*h. sperans*); 59 ext. (*h. confessus*); XV, 74 m. (*h. animaduersum*); XVI, 27 ext. (*h. ueniri*); Hist. II, 32 m. (*h. toleraturos*); V, 16 in. (*h. porrecti*); Germ. 39 ext. (*h. licitum*). Multo saepius igitur sic, quam apud quenquam scriptorem.

Denique ubi *uerba* sunt *negatiua*.

Ann. I, 73 in. (h. pigebit); II, 26 ext. (h. cunctatus); 28 m. (h. aspernatur); 52 m. (h. spernendam); III, 10 ext. (h. fallebat); IV, 72 m. (h. spernenda); XI, 4 m. (h. ambigitur); XII, 39 ext. (h. spernendum); XV, 4 m. (sic); 27 in. (h. aspernatus); Hist. I, 17 ext. (h. spernendum); II, 11, m. (sic); 19 ext. (h. poeniteret); 58 m. (h. spernendis); 81 in. (sic); III, 23 ext. (h. ambigitur); 47 m. (h. temnendae); IV, 39 m. (h. defutura); 82 m. (h. ignorabat).

Intelligi potest ex his locis, quibus inuenitur *haut* apud *Tacitum*, simillimum esse usum *Taciticum* et *Liuianum*. Apparet autem, *Tacitum* pro more illorum temporum usum particulæ latius etiam extendisse. Quare *toties* cum *uerbis affirmatiuis* iunctum est: quod *rarissime* erat factum apud *Liuium*. Set alia etiam apud illum inueniuntur, quae frustra quaesieris apud prioris aetatis scriptores; uerbi gratia *haut semper Agric. 9 ext.*. Nam patitur quidem notio aduerbi *semper*, tum coniungi cum eo particulam *haut*, cum *faceta* magis quam *simplex* est oratio, sicut illo loco *Taciteo*: tamen est consentaneum, scriptores cum is aduerbiis, quae ad *tempus* pertinent, *nunquam* fere coniungere particulam illam. Itaque nec ullo praeterea loco inuenitur *haut semper*, nec ullo prorsus *haut nunquam*, *haut raro*, *rarissimeque haut saepe*, *nunquam* quidem apud *Ciceronem*. At quoties abutuntur recentiores dictione *haut raro!* quin ipsa coniectura sic scribere uoluit Ernestius apud *Cic. d. Orat. III, 38, 153*, loco sanissimo, non reputans uel potius ignorans, barbarum esse *haut raro*.

C A P U T X.

Relicuum est, ut dicam de uocabulis *hautquaquam* et *hautdum*.

Ut inueniebatur *haut quisquam*, sic nonnunquam legitur *hautquaquam*, id est, *nicht eben in irgend einer Hinsicht*: apud *Ciceronem* quidem *quinquies*, ut *d. Amic. 18, 66* *Accedat huc suauitas quaedam oportet sermonum atque morum, hautquaquam mediocre condimentum amicitiae. d. Orat. I, 9, 38* *quorum pater, homo prudens et grauis, hautquaquam eloquens, et saepe alias, et maxime censor saluti reipublicae fuit. II, 33, 143* *Et quidem, inquit Catulus, hautquaquam id est difficile Crasso. III, 22, 82* *Tum Catulus, Hautquaquam hercle, inquit, Crasse,*

mirandum est, esse in te tantam dicendi vim. Frag. F, 14, 11 m. quorum operum ego parens effectorque sum, haec sunt indissolubilia, me inuito: quanquam omne colligatum solui potest; set hautquaquam boni est, ratione uinctum uelle dissoluere.

Apud Caesarem et Nepotem nullo loco inueni.

Apud Salustium quidem semel B. C. 3 in. *Ac mihi quidem, tametsi hautquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum uidetur, res gestas scribere.*

Omnium saepissime *Liuius* usus est uocabulo, id est, plus triginta locis, ut I, 59 ext. *quae praesens rerum indignitas hautquaquam relatu scriptoribus facilia subiicit.* III, 7 m. *Ibi hautquaquam aequo proelio pugnatum est.* 60 m. *Hautquaquam pari hostes animo nuntios passim trepidi ad reuocandos praedatores dimittunt.* V, 46 in. *religionis hautquaquam negligens est gens.* VI, 22 ext. *Ibi eum expugnatores coloniae, hautquaquam percussi, opperiebantur.* 34 m. *quod hautquaquam inter id genus contemptor eius habebatur.* 36 in. *hautquaquam tam obedientem in delectu, quam in comitiis, plebem habuere.* Porro VII, 26 ext.; VIII, 8 ext.; 12 ext.; 29 ext.; IX, 20 in.; 23 ext.; 26 in.; X, 9 m.; 12 ext.; 28 in.; 30 ext.; XXI, 5 ext.; 7 m.; XXII, 12 in.; 18 in.; 36 m.; 42 m.; XXV, 21 ext.; XXVI, 15 in.; XXVII, 31 in.; 49 ext.; XXVIII, 6 m.; 40 in.; XXXI, 25 in.; XXXIV, 25 m..

Quinquies denique inuenitur apud *Tacitum*, ut *Ann.* XI, 11 ext. *nam ipse, hautquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo uisam narrare solitus est.* XII, 2 in. *hautquaquam nouercalibus odiis uisura Britannicum et Octauiam.* XIV, 55 ext. *ac licet multa uideantur, plerique hautquaquam artibus tuis pares plura tenuerunt.* *Hist.* II, 66 in. *Angebat Uitellium uictarum legionum hautquaquam fractus animus.* III, 65 in. *hautquaquam erecto animo eas uoces accipiebat.*

Atque ut supra cap. 5 non fere poterant afferri exempla, quibus *haut* usurpatum esset in antithesi: sic duo omnino annotaui ex *Liuiio* exempla, quibus dictum est *hautquaquam* sequente *set*: I, 57 ext. *ubi Lucretiam, hautquaquam ut regias nurus, quas in conuiuio luxuque cum aequalibus uiderant tempus terentis, set nocte sera deditam lanuae inter lucubrantis ancillas in medio aedium sedentem inueniunt.* XXVII, 17 m. *Indibilis pro utroque locutus, hautquaquam,*

ut barbarus, stolidè incauteque, set potius cum uerecunda grauitate.

Ex praua coniectura Puteolani uolgatur apud *Tacitum Ann.* XIV, 60 ext. sic *His Nero, hautquaquam poenitentia flagitii, coniugem reuocauit Octauiam.* Nam in tali antithesi uix ferendum, ut *haut*, sic *hautquaquam*: de qua re cf. cap. 5. Corbeiensis praebet *His quaquam Nero poenitentia*; Florentinus *His Nero quaquam poenitentia*, ntrunque corrupte. Set apparet, in hac posteriore lectione inesse uestigia uerissimae lectionis huius *His, nequaquam poenitentia.* Librarii enim cum soliti sint uocabulum *nequaquam* sic scribere *ne quaquam*, facillime potuit *ne* corrupti in *Nero*. Nemo autem in hac lectione desiderabit nomen *Neronis*.

Quod ad originem attinet uocabulorum *hautquaquam* et *nequaquam*, non potest esse dubium, quin intelligenda sint hoc pacto: *haut qua parte, quam* et *ne qua parte, quam.* Non dixerim autem, *quaquam*, tanquam oriundum ex ipso *quisquam*, dictum esse pro *quaquam parte.* Non magis ex *neutiquam* concluderis, Romanos etiam dixisse *utiquam.* Cf. *Comment.* II, cap. 12.

Occasione oblata pauca de usu uocabuli *neutiquam*, *nicht auf irgend eine Weise*, dicenda sunt.

Ita saepe enim recentiores eo pro *nequaquam* utuntur, ut ignorare uideantur, quam raro apud scriptores Latinos inueniatur uocabulum, obsoletum prope, quanquam per se pulcherrimum. Ac de *origine* quidem uocabuli dicam in commentatione proxima.

Non inueniuntur exempla, nisi *quinque* apud *Ciceronem* et *tria* apud *Liuium*.

Cf. *Cic. d. Senect.* 12, 42 *Hic Tito, fratre suo, censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est; mihi uero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido.* ad *Att.* VI, 9, 3 *Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem.* XIII, 48, 1 *Is igitur si accierit, accurram; sin minus, neutiquam necesse erit.* Sic ego coniectura certissima pro corrupta lectione codicum *antequam.* Uide supra pag. 145, ubi de locis disputabam, quibus *haut* ex praua coniectura erat ortum. *Frag. F.* 10, 1 *Illud neutiquam probantes.* *ibid.* 14, 11 m. *Set quoniam orti estis, immortales uos quidem esse et indissolubiles non potestis; neutiquam tamen dissoluemini.* Non dubito, quin uerum sit hoc quoque loco *neutiquam*, cum id boni praebeant codices atque in optimis legatur *ne unquam.* Ac-

cedit, quod codices *Augustini*, qui attulit hunc locum, habent *nequaquam*, quod pro interpretamento habendum est rarioris uocabuli *neutiquam*. Non est igitur, quod confundamus ad coniecturam *nec unquam*.

Indignissimum non solum *Cicerone*, set editoribus omnibus esse uolgatum istud *neutiquam d. Off.* II, 10, 36, docebitur in annotatione.

Praeterea in epistola quadam *Attici ad Ciceronem*, ex qua haec affert *Cic. ad Att.* IX, 10, 6 *Nihil relinquitur, nisi fuga, cui te soeium neutiquam puto esse oportere nec unquam putau.*

Apud *Liuium* hi sunt loci IV, 27 *ext. illud eximium consilii animique specimen et neutiquam uolgatae laudis.* VII, 12 *m. dictatori neutiquam placebat, fortunae se committere aduersus hostem.* XXX, 11 *in. Syphax, pulsus inde praefectis praesidiisque suis, uetere se continebat regno, neutiquam quieturus.*

Pro simplici *quaquam, utiquam*, quod repudiauerunt Romani, dicitur *ulla ratione, ullo modo*. Quanquam ne hae quidem uoces ualde usitatae sunt. Solent enim Romani pro tali sententia: *nego, rem quaquam (ullo modo) ueram esse*, quae sic nescio quid languidum sonaret, dicere prorsus *nego, rem ueram esse*. — Andiant denique homines docti, *neutiquam, nequaquam, hautquaquam* non esse Latium in responsione pro *minime*, id est, non posse has particulas usurpari, nisi adiuncto uerbo. *Cicero* igitur *in Uerr. A.* II, l. IV, 65, 146 pro *Magistratus aliqui? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracusanorum aliquis? Minime.* non potuit dicere *Syracusanorum aliquis? Neutiquam (Nequaquam).*

C A P U T XI.

Uocabulum *hautdum* non apud alium inueni scriptorem, nisi aliquoties apud *Liuium*, id est *septem* locis, ut II, 52 *m. Cum et Patres haut minus, quam pro Coriolano, annisi essent, et patris Agrippae fauor hautdum exoleuisset: in multa temperarunt tribuni.* X, 6 *in. Samnitum, multorum annorum cladibus domitum, hautdum foederis noui poenitebat.* Porro 25 *m.*; XXII, 12 *m.*; XXVIII, 2 *in.*; XXIX, 11 *in.*; XXXIII, 11 *in.* Atque ita quidem inter se differant *nondum* et *hautdum*, ut apud nos *noch nicht* et *noch nicht eben*, quo posteriore continetur *fluctuans* aliquod iudicium ipsius loquentis.

COMMENTATIO II.

De pronomibus

nemo, nullus, quisquam, ullus.

CAPUT I.

Antequam ostendam, quomodo usi sint scriptores Latini his pronomibus, necesse est disputetur, unde sint orta et ipsa et cognata uocabula, ut *nunquam, unquam, nusquam, usquam, uspiam neutquam.*

Pronomen *nemo* factum esse ex *homo* addita particula *ne*; apparet. Ipsum autem *homo* nequaquam est ductum ab *humus*, etsi antiquissimi Romani teste *Prisciano* I, p. 553 pro *homo* dixerunt *humo*, set cognatum esse cum Graeco ἄμῶς, quod significabat τις, persuadebo omnibus. Maxime enim consentaneum, ab initio uocabulum *homo*, antequam assumpsit notionem *Mensch*, nihil aliud significasse, nisi ἄμῶς, id est, τις. Progrediente autem tempore facillime potuit existere exultior illa notio *Mensch*. Quod quamuis per se sit consentaneum, magis etiam confirmatur mirabili analogia in uocabulis *homo, nemo* et ἄμῶς, οὐδαμῶς, quam fortuitam esse contendet *nemo*. Nec saue facile, nisi sumpseris, *homo* antiquis temporibus significasse idem quod ἄμῶς, explicaueris, qui *nemo* potuerit iungi etiam pro *adiectiuo* cum substantiuis personalibus.

Ut autem manifesto cognatum est *homo* cum ἄμῶς, sic primaria illa notio uocabuli *homo*, quam esse dixi τις, etiam comparet in Gothico illo *éoman*, id est, τις. Etenim Latinum *homo* et Gothicum *éoman* etiam cognata, immo eadem esse uocabula, nemo non intelligit, praesertim collata analogia hac *homo, nemo, éoman, niéoman*. Agnoscitur igitur una eademque stirps in his uocabulis ἄμῶς, *éoman, homo*. Atque ut apud Romanos quidem ipsum uocabulum *homo*, quod primo significabat τις, sic apud Gothos uocabulum *man, manna*, ductum ex *éoman*, assumpsit notionem nostri *Mensch*. Eandem stirpem reperire uideor in Graeco εἷς, μία, ἕν et in Gothico *aíns* (unus) et *sums* (tis). Nam

non potest, opinor, dubitari, quin $\epsilon\acute{\iota}\varsigma$, $\mu\lambda\alpha$, $\xi\nu$ antiquissimis temporibus sonuerit $\xi\mu\varsigma$, $\xi\mu\lambda\alpha$, $\xi\mu\nu$. Id quidem *Schmidtius*, uir acutissimus, non perspexit in egregio illo libello *d. Pron.* pag. 41, quem saepius respiciemus. Error autem pessimus eorum est, qui contendunt, $\omicron\upsilon\delta\epsilon\iota\varsigma$ ortum esse ex $\omicron\upsilon$ et $\delta\epsilon\iota\varsigma$, non ex $\omicron\upsilon\delta\acute{\epsilon}$ et $\epsilon\acute{\iota}\varsigma$: quasi uero quisquam dicere uellet, $\omicron\upsilon\delta\alpha\mu\acute{o}\varsigma$ ductum esse ex $\omicron\upsilon$ et $\delta\alpha\mu\acute{o}\varsigma$. Isti homines prorsus non curauerunt $\omicron\upsilon\delta\epsilon\mu\lambda\alpha$. Exstitisse reuera alteram illam formam $\delta\epsilon\iota\varsigma$, ne ipse quidem negauerim, cum ex testimoniis quibusdam grammaticorum (quae uide apud *Schmidtium* l. l.) id uideatur sequi. Esse autem $\delta\epsilon\iota\varsigma$ pronomen *demonstratiuum*, suo iure sumit idem uir doctissimus. Ut igitur $\acute{\alpha}\mu\acute{o}\varsigma$ et $\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ ($\xi\mu\varsigma$), sic cognata sunt $\acute{\epsilon}o\text{-}man$, $sums$ et $ains$. Porro ut ex $\acute{\epsilon}o\text{-}man$ ($\tau\iota\varsigma$) cum ex cultiore notione man , $manna$ (*Mensch*): sic ex $homo$ ($\tau\iota\varsigma$, *Mensch*) ductum est ex cultius istud mas (*Mann*). Non crediderim autem, quod summus ille *I. Grimmus* in *Gramm. Germ.* III, pag. 314 contendit, ductum esse $\acute{\epsilon}o\text{-}man$ ex man . Nam debet concludi ex Graeco $\epsilon\acute{\iota}\varsigma$, $\mu\lambda\alpha$, $\xi\nu$, radices omnium horum uocabulorum fuisse $\acute{\alpha}\mu\varsigma$ ($\acute{\alpha}\mu\acute{o}\varsigma$), $\xi\mu\varsigma$ ($\epsilon\acute{\iota}\varsigma$), $hums$ siue $homs$ (humo, homo), $\acute{\epsilon}ms$ siue oms ($\acute{\epsilon}o\text{-}man$); in nulla igitur harum radicum (quae postea latius modo extendebantur) deesse uocalem incipientem. Haec uocalis incipiens quam facile potuerit deorari, intelligitur ex feminino illo $\mu\lambda\alpha$ pro $\xi\mu\lambda\alpha$: nec uero ullo modo poterit probari, in $\acute{\epsilon}o\text{-}man$ litteras $\acute{\epsilon}o$, quae sunt primitiuae, immutasse modo notionem deriuati uocabuli man ; non magis, quam in Graeco $\acute{\alpha}\mu\acute{o}\varsigma$ et in Latino $homo$, in quibus m littera est fortuita, priorem syllabam nescio quid fortuiti significasse. Cf. caput extremum. Mirum esset etiam, si ex *excultiore* notione orta esset *simplicior*, quod non solet fieri. Ad eandem illam stirpem constat pertinere etiam Gothicam illud $guma$ (mas). Ergo ipsum illud Latinum $humo$, $homo$ ($\tau\iota\varsigma$, *Mensch*) *trifariam* agnoscitur in lingua Gothica: in $\acute{\epsilon}o\text{-}man$ ($\tau\iota\varsigma$), in $sums$ ($\tau\iota\varsigma$), in $guma$ (mas); *dupliciter* in Graeca: in $\acute{\alpha}\mu\acute{o}\varsigma$ ($\tau\iota\varsigma$) et in $\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ ($\xi\mu\varsigma$, unus). Denique commemoro, ut $homo$ et $\acute{\alpha}\mu\acute{o}\varsigma$, sic *omnis* et $\acute{o}\mu\acute{o}\varsigma$ cognata esse uocabula.

Apparet igitur, in omnibus his uocabulis trium istarum linguarum et Graecae et Latinae et Gothicae uel maximam agnoscere cognationem. Quod attinet ad uocabula *unquam*, *nunquam*, *usquam*, *nusquam*, *usquam*, *quisquam*, *neutiquam*, deficit iam analogia Graecae linguae; at ex collata lingua Gothica satis magna redundant. Si modo conferri iussero Gothica uocabula haec *huanhun* (unquam),

nihuanhun (nunquam), *huanhun* (usquam), *nihuarhun* (nusquam), *huashun* (quisquam), nemo erit, qui non primo aspectu intellexerit, eadem prorsus esse uocabula Gothica et Latina. Constat enim, Latino *qu* in pronomine *quis* eiusque deriuatis Gothicum respondere *hu*; in ipsa autem lingua Latua sequente uocali *u* omitti *qu*, quod antiquitus similiter atque *u* sonabat, ut necesse esset tum omittere aut saltem ex *qu* facere *cu*. Dixerunt quidem igitur Romani *quis*, *quando*, non tamen *quuti*, *quubi*, *quunde*, *quuter*, set litteris *qu* omissis *uti*, *ubi*, *unde*, *uter*: etsi *necunde*, *cum*, alia.

Deinceps autem de singulis erit dicendum. Primum de uocabulis *unquam*, *huanhan*. Ut reuera apud Gothos particula *huan*, sic sine dubio Latinum *um* antiquissimis temporibus significabat *aliquando*, *quando*, *zu einer Zeit*. *Dupliciter* igitur habemus Gothicum *huan* in Latina lingua et in *quando* et in *um*. Quauquam igitur soleo scribere *unquam*, *nunquam*, tamen non ita scribo propter Gothicum *huan* nec sumo, reuera exstitisse ipsam formam *un*. Scilicet propter sequentis litteras *qu* ex *um* mollius istud factum est *un*. Ob eandem causam scribendum *quenque*, *quenquam*, *utrunque*, *utranque*, *utrinque*, *cunque*, *plerunque*, similia: itemque ex *m* fit *n* sequente littera *d*, ut in *eundem*, *eandem*, *quando*, *unde*, aliis. Particulam indefinitam *um* autem non solum sonuisse *um*, set etiam *cum*, debet concludi ex *cunque* (pro quunque) pro *unque*, id est, *zu irgend einer Zeit*, *wann es auch sei*. Respondent sibi igitur *unquam* et *cunque* (unque) ut *quisquam* et *quisque*, *usquam* et *usque*. Pro *cunque* Romani dixerunt etiam *quandoque*.

Ut autem in particula illa, quae debebat esse *quum*, sibi sumpserunt Romani, ut non solum dicerent *um*, set etiam *cum* (similiter *ubi*, *uti*; at *necubi*, *necunde*, *sicubi*, *sicunde*): sic in ceteris omnibus uocabulis, in quibus primitiua litteras *qu* debebat sequi littera *u*, ex *qu*, quod aures Latinae non agnoscebant (Cf. Wunderum in Praef. Cic. orat. p. Planc. p. XIV), fecerunt *cu*. Et dixerunt igitur et scripserunt, ut *cum*, *cuius*, *cunque*, *sicubi*, *necubi*, sic *aecus*, *aecum*, *inicus*, *inicum*, *secutus*, *secuntur* (ipsi etiam recentiores semper *secundus*, non *sequundus*; *secus*, non *sequus*; at cur *secius* toties, ac non semper *sequius*? quod unum probo: quasi uero quisquam pro *sequitur* diceret *secitur*, *cis* pro *quis*), *relincunt*, *delincunt*, *ecus*, *ecum*, *eculeus*, similia. Antiquissimorum au-

tem Romanorum fuit proprium, pro *quu* scribere *quo*. Atque sic quidem certe potuerunt seruare primitiuas litteras *qu* quae cum similiter sonuerint atque *u*, uolentius sane posterius cum his commutauerunt asperam illam litteram *c*. Nec tamen usque ad *Ciceronis* aetatem anticus ille mos seruatus est, ut homines pro barbaro *quu* dicerent *quo*. Aureae, quam uocant, aetatis pro *quu* est proprium *cu*. — De praepositione *cum* dicetur infra: quam ipsam quoque antiquissimis temporibus sonuisse *quom*, uerisimillimum est.

Uenio ad illustrandum additum illud *quam*, *hun*. Mihi persuasi autem, cum apud Gothos *huan* etiam significauerint *quam*, non solum *quando*, *aliquando*, istud *hun* aliam modo formam esse particulae *huan* ac significare idem, id est, *quam*. Hoc si sumitur (quod sumpsisse propemodum uideo ipsum quoque *Grimmii Gramm. Germ.* III, pag. 33), praeclare intelligitur, cur, ut Latina uocabula *quisquam*, *unquam*, *usquam*, cetera, sic Gothica *huashun*, *huanhun*, *huarhun*, cetera non potuerint usurpari, nisi adiuncta notione *negatiua*. Persuasum enim debes habere, particulas relatiuas *simplicis* antiquissimis temporibus etiam id significauisse, quod post significauerunt *iteratae*: ut uerbi causa *ubi* etiam diceretur pro *ubiubi*, ut pro *utut*, similia: cuius quidem diceudi rationis exstant exempla etiam apud scriptores aureae aetatis. Sequitur igitur, etiam particulam *quam* antiquissimis temporibus esse usurpatam, ut postea *quanguam*, *quamuis*, id est, ut inesset sententia *wie sehr auch*: quod idem sumendum est cadere in Gothicum *hun* siue *huan*. Itaque uerbi causa *unquam*, ut *huanhun*, proprie significat *zu einer Zeit, wie sehr auch*: quod cum ellipsi quadam dictum est pro *um quamuis affirmetur*. Iam intelligitur, si est statuenda in omnibus eiusmodi uocabulis haec ellipsis, ut est, non potuisse fieri, quin eam assumpserint notionem, ut semper addita debeat esse sententia *negatiua*. Nam ubi dicis *quamuis affirmetur*, significas profecto, te rem esse *negaturum*. Is locis, ubi praegressa coniunctione *si* dicitur *quisquam*, *unquam*, *usquam*, similia, eandem esse ellipsin, miror non perspexisse *Schmidtium l. l.* pag. 59. *Si quisquam* ita debet explicari: *si quis (possis autem negare, quenuquam)*. Atque ipsa quidem coniunctio *si* iudicat, rem non esse certam, set posse *negari*. Optime igitur additur tali *quis* illud *quam*, id est, *quamuis affirmetur*. Cf. quae dicam cap. 14.

Uenio ad uocabula *usquam*, *huarhun*. Latinam *us* antiquis temporibus idem significasse, quod cognatum illud

Gothicum *huar*, id est, *wo*, *irgendwo* atque etiam *wohin*, *irgendwohin*, luce est clarius. Factum est autem *us*, cum non potuerit dici *quus*. Particulam *us* autem ab initio secundum ipsam originem ex pronomine *indefinitio* significasse *aliquo modo*, egregie concludit *Schmidtus* l. l. pag. 96 ex particula *secus*, id est, *diuerso modo*. Similiter in quibusdam Germaniae regionibus usurpatur *wo* pro *wie*. — Ex pronomine *quis* autem potuisse existere *aduerbia* cum notione non solum ad *qualitatem* et *gradum* (ut in *ut*, *quam*), set etiam ad *tempus* (ut in *cum*, *quando*), uel denique ad *locum* (ut in *ubi*, *us*) referenda: non potest esse mirum, si quidem nihil obstabat, quin pronomen tam incertae notionis *quacunque* relatione gauderet. *Certis* igitur forinis talium aduerbiorum lingua siue *quantitativam*, siue *temporalem*, siue *loculem* tribuit notionem. — De particula *usque* non multo post dicetur.

Iam dicam de uocabulis *quisquam*, *huashun*. Prorsus autem respondet Gothicum *huashun* Latino *quisquam*: nisi quod apud Gothos etiam exstat ipsum pronomen *nihuashun*, non item apud Romanos *nequisquam*. Pro uno igitur Latino *nemo* Gothi *quinque* habent pronomina et *niéoman* et *nimanna* et *nimannhun* (*nimannahun*) et *nixishun* et *nihuashun*. In hoc praeterea inter se differunt *quisquam* et *huashun*, quod *quisquam* usurpatur etiam pro *adiectiuo*, ut possit iungi saltem cum substantiuo *personati*; non item *huashun*, quod semper, ut *huas*, est *substantiuom*. Non magis apud Gothos *niéoman* reperitur pro *adiectiuo*, quanquam Romani quidem certe iunxerunt *nemo* cum *substantiuis personabilibus*, ut *nemo scriptor*. Nulli autem apud optimos scriptores inueniuntur loci, quibus dictum sit *quisquam locus*, *rumor*, similia. Causa quidem, cur prorsus inaudita sit haec dicendi ratio, cum nihil saepius inueniatur, quam *quis locus*, *rumor*, haec est, quod pro *adiectiuo* dudum excultum erat *nullus*. Usurpabatur igitur *quisquam* tantum pro pronomine *personali*, siue *substantiuo* siue *adiectiuo*, ut in *quisquam scriptor*. Proprie uero sic inter se uidentur differre *quisquam* et *ullus*, *nemo* et *nullus*, ut in *nemo*, *quisquam* respiciatur *qualitas*, in *nullus*, *ullus* autem (propterea quod pertinent ad radicem *unus*) *quantitas*. Non sane igitur poterit dici nihil differre, utrum dicatur *nemo scriptor*, an *nullus scriptor*, *quisquam scriptor* an *ullus scriptor*.

Denique quaedam de uocabulo *neutiquam*. Cum omnes particulae *relatiuae* etiam fuerint *indefinitae*, ut *quis*

(*irgend wer*), *um* (*etwan*), *us* (*irgend wo*), sequitur, particulam *ut*, *uti* antiquissimis temporibus non solum significasse *quomodo*, set etiam *aliquo modo*. Idem prope igitur significat *neutiquam*, quod *nequaquam*. Atque haec est causa, cur procedente tempore alterutrum propemodum obsoleuerit, dico *neutiquam*. Conferas particulam *utique*, quam per se significare *auf irgend eine Weise*, *wie es auch sei*, docebitur paulo post.

Non possum, quin hoc loco exponam de origine particularum *que*, *τε*: quas quidem cognatas esse cum ipsis pronominibus *quis*, *τις*, semper habui persuasum. Apparet autem, esse *que*, *τε* (pro *τι*) *accusatiuos neutrius pronominum quis*, *τις*. Pertinuit enim apud antiquissimos Romanos *quis* ad *tertiam* declinationem, ut esset *communis* generis *quis*, *neutrius que*. Atque remanent alia uestigia multa huius declinationis, ut in genitio *cuius*, dativo *cui*, accusatio *quem*, ablativo *qui*, nominatio pluralis *ques*, dativo et ablativo pluralis *quibus*: de qua re cf. *Schmidtium l. l.* pag. 33 et 34. Significabant autem particulae *que* et *τε* (*τι*) ab initio *wie es auch sei*, *wie auch*. Ut enim apud Romanos *simplices* particulae *relatiuae* ab initio idem significauerunt, quod postea *iteratae*, ut diceretur *quis* pro *quisquis*, *quam* pro *quanguam*, ut pro *utnt*, alia: sic apud Graecos antiquis temporibus, quibus *τις* non solum erat pronomen *indefinitum*, set etiam *relatiuom*, apparet, *relatiuom* *τις* esse dictum pro *ὅστις*: quod, ut *ὅς* pro *τός*, *τις*, sic est dictum pro *τίςτις*. Dictum est igitur antiquo more *τε* (*τι*) pro *τίτι*, *que* pro *queque*, ut inesset in his particularis notio *wie es auch sei*, *wie auch*. Ergo uel hoc *senatus populusque Romanus* erit explicandum sic: *der Senat, das Volk (wie es auch mit diesem stehe)*. Cf. *Comment. I, cōp. 1*. Atque iam apparebit, opinor, ob hanc ipsam notionem primitiuam et particulas istas semper debuisse postponi et facillime potuisse fieri particulas talis, ut *fortuito* et *minus graua* adderent. Iam uero particula *quoque* nihil aliud est, nisi *iteratum* istud *que*, id est, *accusatiuos neutrius relatiui pronominis quisquis*. Nam quod antiquis temporibus significabat *simplex que*, *wie auch*, idem post uoluerunt significari *iterata* particula. Ut *que* igitur, sic *quoque* pro *queque* ab initio significabat *wie auch*. Facta est autem *que* *copula*, non item *quoque*. Quanguam proprie ne ipsam quidem *que* est *copula*, set potius particula, ut ita dicam, *additiua*. Eodem modo explicandum esse continendo cognatum illud Gothicum *uh* (*que*): quod uerissime existimat

Grimmius l. l. pag. 23 conuersum modo esse ex *hu*. Nihil est enim aliud *uh* pro *hu*, nisi forma decurtata accusatiui neutrius *hua*. Eadem igitur stirps *relatiui* agnoscitur in his particulis *τε*, *que*, *uh*. Sequitur autem uel maxime ex particula *quoque* (*queque*), non posse referri illas particulas *que*, *τε*, *uh* ad *indefinita* pronomina. Speciosum esset enim, non uerum, dicere, copulas *que*, *τε*, *uh* antiquis temporibus significasse *in etwas*, *etwa* atque sic ortam esse et illam *fluctuandi* notionem et notionem *copularum*. Tenendum est porro, particulam *que* proprie quidem significare *wie es auch sei*, uerumtamen Romanos tum, cum *relatiuam* particulam *que* adderent particulis *indefinitis*, ex his particulis *indefinitis* solitos esse repetere eandem notionem, set *relatiuam*. Significabant igitur *quisque*, *ubique*, *cunque* reuera *irgendwer*, *wie auch*, *irgendwo*, *wie auch*, *irgendwann*, *wie auch*; at Romani intellexerunt sic *irgendwer*, *wer auch*, *irgendwo*, *wo auch*, *irgendwann*, *wann auch*. Atque casu quidem in uocabulo *uti*, *que* particula *que* propter notionem particulae *uti*, id est, *irgendwie*, potuit propriam suam seruare uim, dico *wie auch*. Hanc autem ob causam, quod in omnibus his uocabulis *quisque*, *ubique*, *usque*, *utique*, *cunque*, ut in *quisquam*, *usquam*, *unquam*, particulae *quis*, *ubi*, *us*, *uti*, cum *indefinitae* sunt, non *relatiuae*, notiones istorum uocabulorum tam longe absunt ab his uocabulis *quiuis*, *ubiuis* (in quibus *qui*, *ubi* *relatiua* sunt), *omnino*, *semper*. De usu quidem uocabuli *quisque* grammatici nostri uera docuerunt, quamuis causam huius usus non perspexerint. Non potes autem dicere *quisque hoc credit* pro: *jedermann glaubt dies*, propterea quod *quisque* significat *irgend einer*, *wer auch*. Quocirca recte dicuntur talia quod *quisque credit*, id est, *was irgendwer*, *war es auch sei*, *glaubt*. Primum igitur post *relatiu*. Deinde post prouomen possessiuom *suus*, uelut *suum quisque teneat*. Nam *quisque* nequaquam tali loco significat *quiuis*, *omnes*, set ei tantum intelliguntur, in quos id, de quo agitur, cadit. Intelligendum igitur sic *quisque*, *qui suum habet*, *teneat*, id est, *jemand*, *wer es auch sei*, *der etwas als Eigenthum besitzt*, *halte es fest*. Quanquam igitur potes uertere *ein jeder halte sein Eigenthum fest*, tamen non iam putabis, reuera *quisque* significare *ein jeder*. Eodem modo explicandum *optimus quisque*, id est, *quisque*, *qui optimus est*, *jemand*, *wer es auch sei*, *der überaus rechtschaffen ist*. Restat uo-

cabulum *unusquisque*, quod cum proprie significet *ein einziger, wer es auch sei*, non multum abest notio *ein einziger jedesmal, wer es auch sei*. Cf. *Cic. p. Rosc. Am.* 30, 83 *Tanetsi neque omnia dicam et leuiter unumquodque tangam*. Tantum igitur in aequabili divisione. Uides autem, quam sit non Latinum tale quiddam *unusquisque existimat, se uerum uidisse pro nemo est, qui non existimet*. Pauci autem nidentur scire, ob eandem causam non posse dici *ubique*, si est reddendum nostrum *überall*. Nam *ubique* apud optimos quidem scriptores significat *irgendwo, wo es auch sei*. Recte igitur dicitur notissimum illud *omnes, qui ubique sunt*; non item *Deus ubique est*. Ob eandem causam nemo unquam scriptor aut dixit *cunq̄ue dicendum pro semper dicendum* aut *utiq̄ue nego pro omnino, prorsus nego*. Tum *utiq̄ue* habet locum, ubi significandum est nostrum *auf irgend eine Weise, wie auch*. Quamobrem saepe cum *imperatiuis* similie sententia reperies iunctum aut etiam post *relatiua* coniunctionesque siue *condicionalis* siue *finalis*. Desinant autem homines docti loqui sic *utiq̄ue contendo, affirmo, utiq̄ue non credo, nego*, similiter. *Usq̄ue* cum proprie significet *irgendwie, wie auch*, consentaneum est, usurpari a Romanis, ubi uolent significare, *feri aliquid non sine aliqua difficultate*. Differt igitur, utrum dicas *Romam proficiscar*, an *usque Romam proficiscar*, in quo posteriore inuis, te recordari *difficultatum*. Atq̄ue hanc propriam particulae *usque* notionem facillimo negotio possis perspicere in *usque dum, usque adeo ut, usquequaque*, ceteris dictionibus. Uocabulum *plerus* cum ab initio significauerit fere *multus*, in *plerusque, plerique* haec debebat inesse notio *viele, wie viele auch*, ut facile posset transire in notionem hanc *die meisten*. Animaduertendum est denique, apud *poetas* quidem aureae aetatis scriptoresque *deteriores quisque* usurpari pro *jeder, utiq̄ue* pro *schlechterdings, namentlich, ubique* pro *überall, cunq̄ue* (*Horat. Od.* 1, 32, 15) pro *semper*, id est, negligi propriam harum particularum notionem *indefinitam*. Apud antiquissimos scriptores uestigia huius quidem abusionis inuenieris in *cuiusque modi*, quod raro dictum uidemus pro *omnis modi*, in *uterque*, in *undique*: set ex his nihil aliud sequitur, nisi iam antiquitus tum scriptores abusos esse consuetudine dicendi. — Quod ad litteram τ in Graeco pronomine $\tau\iota\varsigma$ attinet, pro qua secundum analogiam exspectaueris π aut α , uestigia habes antiquissimi illius usus, ex quo Graeci una

eandemque forma et pro *demonstratio* et pro *relatio* siue *indefinito* pronomine sunt usi. De qua re uide *Schmidtium* l. l. pag. 34. Post demum enim pro *relatio* siue *indefinito* diuersae factae sunt formae. Atque apud Iones certe existisse etiam formam $\chi\iota\varsigma$ pro $\tau\iota\varsigma$, concluderim, ex Ionica particula $\kappa\epsilon$ (pro $\chi\iota$, *wie auch*): quam apparet ortam esse ex $\chi\iota\varsigma$ ut $\tau\epsilon$ ex $\tau\iota\varsigma$. Et profecto notio particulae $\kappa\epsilon$ non multum abest a notione *copulae*. Itaque eandem fere illae particulae $\kappa\epsilon$ et $\tau\epsilon$ assumpsērunt notionem, nisi quod ipsa particula $\kappa\epsilon$ substitit in notione illa *fluctuandi*, ut possis uertere *wohl*, neque facta est *copula*. Per se igitur maxime cogata sunt $\kappa\epsilon$ et *que*, etiam notioni particulae *que* prorsus respondet illud archaicum $\tau\epsilon$. Atque cum $\kappa\epsilon$ in Dorica dialecto sonuerit $\kappa\bar{\alpha}$, facile potuit oriri ex $\kappa\epsilon$, $\kappa\bar{\alpha}$ copula *καί*. — Sunt autem, qui animant, uestigia illius *archaismi*, de quo modo diximus, conspici etiam in Latina particula *et*, siquidem non dubitant, quin *et* nihil aliud sit, nisi conuersum istud $\tau\epsilon$. Temere autem id sumitur, cum Graeco $\tau\epsilon$ non respondeat in Latina lingua ulla particula, set tantum illi $\kappa\epsilon$, dico particulam *que*. At non potest esse dubium, quin Latinum *et* cognatum sit cum Graeco $\epsilon\tau\iota$ (praeterea) et Gothico *it* (et). Referendae autem haec quidem tres particulae ad stirpem *demonstratiuorum*; agnosco enim in Graeco $\epsilon\tau\iota$ (quod *Schmidtius* l. l. pag. 99 haut saue perspexit) accusatiuom neutrius obsoleti *pronominis demonstratiui* $\tau\iota\varsigma$, cui addita modo est, ut in $\epsilon\kappa\epsilon\iota\nu\omicron\varsigma$, $\epsilon\theta\acute{\epsilon}\lambda\omega$, aliis multis, uocalis ϵ . Ideam ualet et de Latino *et* et de Gothico *it*: sunt enim antiqua aduerbia, profecta ex accusatiuis neutrius *pronominis demonstratiui* *is* et Latini et Gothici. Significauerunt igitur tres illae particulae antiquissimis temporibus idem, quod *ita*, id est, *auf die Weise*, *sq.* Apparet autem, uel maxime sibi respondere ut — *et*, litteramque *t*, radicibus pronominiu et quidem accusatiuo neutrius additam, aduerbialem effecisse notionem. *Ut* (pro *quut*) igitur factum est ex *que* et *t*, *et* ex antiquo neutro *e* et *t*. Nam quia, ut *quis*, *que*, sic *is*, *e* dixerint ueteres Romani, dubitauit nonquam. Errant enim, qui primam *neutrorum* terminationem litteram *consonantem* opinantur fuisse. Propria *neutrorum* terminatio in omnibus linguis, quae ad Indicam referendae sunt stirpem, est *uocalis*: cui addiderunt procedente tempore alii aliam litteram *consonantem*: Indi *m*, Graeci *v*, Osci *d*, Romani aut Oschorum more saepe *d* aut *m*, Gothi *ata*. Graeci uero seruaerunt $\tau\iota\varsigma$, $\tau\iota$, $\pi\omicron\lambda\upsilon\varsigma$, $\pi\omicron\lambda\upsilon$, $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\varsigma$, $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron$, alia; Romani *quis*, *que*, *is*, *e*, *leuis*, *leue*, cetera. Ut apud Gothos in prono-

minibus et adiectivis *neutrum* genus terminare consuevit in litteram *lingualem*, hoc est, in *ata*: sic Osci quidem (cf. R. Lepsius d. *Tabulis Eugubinis* pag. 51) constanter *neutra* sua terminavisse videntur in *lingualem* litteram *d*. Causa autem harum recentiorum terminationum in *consonantis* non est alia, nisi quod moleste forebant terminationem solius *vocalis*. Gothi quidem etiam *latina* terminationem illam extenderunt, si quidem pro *at* dixerunt *ata*: set vide, ne putes, in hac terminatione latiore primitivam esse *vocalem* istam redundantem *a*. Ex Oscorum autem lingua postea Romani in *neutris* pronominum, ut in *id* (*illud*), *istud*, *quid*, *quod*, *aliud* (quae quidem antea sonuerant *e*, *iste* (ab *istis*), *que*, *ale* (ab *alis*)), assumpserunt terminationem illam in *d*. Commutaverant iam Romani in *ut* — *et* cum littera *d* litteram *t*, cum ex *neutris que*, *e* nelleut efficere *adverbia*. Si essent in *Osc* lingua, ex qua quidem Romani *me* iudice transtulerunt illud *d*, vestigia latioris illius terminationis *ata*, *ta*, quamprehendimus in *Gothica* lingua, posses dicere (*id* quod nideo existimare *Schmidtium* l. l. pag. 87), etiam in *Latina* lingua teneri talia vestigia in *aliuta* (pro *aliquota*) et in *ita*. Set cum desiderentur, mihi persuasi, *uta* (pro *quota*) — *ita* dictum esse pro *uat* — *iat*, id est, non solum *singulari* numero *que* — *e*, set etiam *plurali* *ua* (pro *quua*, *quia*) — *ia* additum esse *adverbiale* illud *t*. Atque hoc probabilior haec fit *traiectio* litterae *t*, quod ex particula *quia* (quae est *relativi* pronominis *quis* *accusativos* *neutrius* numeri *pluralis*, ut *que* *singularis*) sequitur profecto, existitisse olim respondentem illam particulam *demonstrativam* *ia*. Sumo ergo, antiquos Romanos dixisse, si non *quiat* — *iat*, attamen *uat* (pro *quuat*) — *iat*; post autem *uta* factum esse ex *uat*, *ita* ex *iat*. Similem quidem certe *traiectionem* deprehendebamus supra in *Gothica* particula *uh* pro *hu*. — Quam facile ex *notione ita*, *so* potuerit existere et *notio praeterae* et *notio copulae*, nemo non intellexerit. Ut igitur particulae $\tau\epsilon$ ($\chi\epsilon$), *que*, *uh* (pro *hu*) ductae sunt ex *pronomibus relativis* $\tau\iota\varsigma$ ($\chi\iota\varsigma$), *quis*, *huas*: sic particulae $\epsilon\tau\iota$, *et*, *it* originem debent *pronomibus demonstrativis* $\tau\iota\varsigma$, *is*, *is*. — Addere liceat quaedam de *praepositione cum*: quam cognatam esse vel maxime cum ipsa *copula que*, nescio quo pacto adhuc non attenderunt homines docti. Ut enim *que* reapse nihil aliud erat, nisi *accusativos* *neutrius relativi pronominis quis* secundum *declinationem tertiam*, id est, *antiquiorem*: sic *cum* (pro *quum*, *quom*) ipsum quoque est *accusativos* *neutrius eiusdem pronominis*, set secundum *recen-*

tiorem illam declinationem. Sumendum igitur est, ut *quo*, sic *cum* ab initio significasse *wie auch*, ipsiisque *cum* postea usurpatum esse pro *copula*. Antiquis igitur temporibus fortasse dicebant, ut *ego tuque*, sic *ego tu cum*. Cum autem tempore procedente *copula cum*, quae ipsa quoque *postponebatur*, fieret *praepositio*, assumpsit cognatam notionem *mit*. Ac uestigia quidem apertissima antiquae *copulae cum* apparet manere in collocatione *praepositionis cum post* ablatiuom pronominum possessiuorum, ut dicatur semper *mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum*, saepe *quocum*: quam collocationem non possis explicare, nisi sumas, *cognatum esse praepositionem cum cum enclitica copula quo*, uel potius, ut *quo*, sic etiam recentius illud *cum* aliquandiu fuisse *copulam*. Nam ridiculam ipsorum Romanorum explicationem, quam ueram esse opinatur etiam *Cicero Orat. 45, 154*, pudet commemorare. Usurpatam autem hanc esse dicendi rationem in istis potissimum *pronominiibus*, non in aliis uocabulis, ut constat, ita mirum debet esse. Nam cum *praepositionis cum* eadem sit origo atque *copulae quo*, Romani profecto, si modo memores *encliticae* illius notiois fuissent, debebant dicere non solum *mecum, tecum*, cetera, uerum etiam *illocum, Caiocum, hominecum, multiscum*, similia. Atque sic dixisse antiquissimos Romanos, mihi persuasum est: quanquam desiderantur exempla. Posterius enim ita non sunt ausi loqui praeterquam in *pronominiibus* illis, propterea quod meminerant, *saepissime* quidem parentis suos dicere *mecum, tecum, nobiscum*, cetera (quae in communi uita quotidie teruntur); *raro* tamen se audire talia *Caiocum, hominecum*, similia. Ut concedamus, talia rarius audiri, tamen nequaquam debebant posterius ita uim afferre certis linguae regulis, ut dicerent *cum Caio, cum homine*. Similem posteriorum errorem attingemus, ubi dicendum erit de *casibus* pronominis *nemo*. — Facile autem intelliges, et *particulam um* et *coniunctionem cum* et *praepositionem cum* esse *unum eundemque accusatiuom* neutrius pronominis *quis*, uidelicet ad *recentiorem* declinationem. Maxime quidem cohaerent *coniunctio cum* et *praepositio cum*, propterea quod utraque profecta est ex *relatiui* pronominis istius uotione. Nam cum *particula um* significet *aliquo tempore*, in hac *indefinita* eiusdem pronominis notio perspicitur.

Non uidetur alienum ab hoc loco, dicere de origine Graecae particulae *ὅτι*: quae origo cum sit satis occulta, a nullo adhuc est detecta. Ut particula *εἴ* (*etwa, wohl*) profecta erat ex accusatiuo neutrius *relatiui* pronominis *οὗτος*, id est,

ex *xl* (*wie auch*): sic similis illa particula ἄν (*etwa, wohl*) est pro *aduerbio* usurpatus *accusatiuus* neutrius *relatiui* pronominis obsoleti ἄμός (*τις*). Intelleximus enim supra ex cognato pronomine εἷς, μία, ἕν, quod ab initio apparet sonuisse ἕμς, ἐμία, ἕμν, radicem pronominis ἄμός fuisse ἄμς, ἀμία, ἄμν. Quemadmodum autem ἕν ex ἕμν, sic ἄν est factum ex ἄμν. Graecos reuera usurpauisse suum ἄμός non solum pro pronomine *indefinito*, set etiam, ut erat consentaneum, pro *relatiuo*, praeclare sequitur ex particula ἦμος, (ἄμος), id est, *cum, als, da*, cui respondet *demonstratiuom* τῆμος, τῶμ. Ortum est autem ἦμος (ἄμος) producta modo uocali ex ἄμός, ut *cum* ex *quis*. Nihil est igitur certius, quam antiquos Graecos dixisse ἄμός (pro quo potuerunt etiam dicere ταμός, καμός) — ταμός (ἄμός) pro *qui* — *is*. Cum igitur proprie ἄν (ἄμν) significauerit *wie auch, wie es auch damit stehe*, post orta est cognata notio *etwa, wohl*. Iam cauebis, opinere, ἄν ex *indefinita* notione pronominis ἄμός profectum esse. — Uerum autem non sane uidit doctissimus *Schmidtius* l. I. pag. 15, qui nescio quomodo existimat, ἄν esse locatiuom pronominis *demonstratiui* ἴ (is) ab initioque significasse *eo modo, ea uia ac ratione*. Nihil enim abhorret magis a pronomiibus *demonstratiuis*, quam notio *fluctuandi*: quam uidimus propriam esse pronominum *relatiuorum*. Etsi enim pronomina *relatiua* originem debent pronomiibus *demonstratiuis* unaque in utrisque est *radix*, tamen nequaquam debent confundi utrorumque *notiones*, quae sunt propemodum *contrariae*.

Quod attinet ad *priuatiuam* particulam ἄν, hanc a principio non diuersam fuisse contendo a particula illa *fluctuantis* iudici ἄν. Uidimus enim modo, particulam ἄν proprie significare *wie auch, wie es auch damit stehe*, uimque uocabuli, quocum iungatur, quodammodo deminui: ut tuo iure possis concludere, ab initio *priuatiuam* particulam non *simpliciter* et *directe* sustulisse uim additi uocabuli, sed cum quadam *fluctuatione*. Post quidem facta est particula *simpliciter* et *directe* tollens. Atque cum hac particula *priatiua* ἄν siue, abiecta littera ν, ἄ non solum cognatum est Romanorum *hant* (de qua re diximus *Comment. I, cap. 1*), uerum etiam particulae νη, *ne* (*non*): in quibus modo uocalis incipiens deuorata est. Iam uero non dubitabis, quin particula μῆ quoque ad stirpem pronominis ἄμός sit referenda. Nec enim minus facile potuit fieri μῆ ex ἄμός, quam μία ex ἐμία. Ipsam quoque particulam οὐδ pro αὐδ uerisimillimum est, non minus quam *priuatiuam* particulam ἄν, profectam esse ex ἄμν, si-

quidem ἄνν aut debebat fieri ἄν neglecta littera μ aut respecta αὐ (pro αὐν), ut εἰς ex ἔμς. — Quid? quod coniunctio ἄν, wenn, etiam est accusatiuus neutrius generis pronominis *relatiui* ἀμός (ἄμς)? Ut enim cum, wenn, ex quis, wer, sic ἄν, wenn, est ductum ex ἀμός, wer. — Eandem stirpem facili negotio reperias et in particula αἶ, *abermals*, et in obstetandi particula μά.

Restat, ut dicam de pronomine *ullus*. Esse *deminutiuum* pronominis *unus*, contractum ex *unulus*, *unlus*, ipse quoque mihi persuasi. Non dixerim autem, per abusione temporis progrediente *ullus*, cum deberet declinari, ut *deminutiuum*, ad normam adiectiuorum *secundae* et *primae* declinationis, coeptum esse declinari, ut ipsum *unus*. Nam cum *ullus*, ut *unus*, haberetur pro *pronomine*, debebat declinari ut ipsum pronomen *unus*, nec oportebat respici formam *deminutiuiam*. Non est autem obscurum, quare *ullus* (*nullus*) pro *adiectiuo* tantum, se non pro *substantiuo* in *nominatiuo* et *accusatiuo* (nam cum ceteros casus excipiam, intelligetur ex sequentibus) sit usurpatum. Nam debent haberi nomina *numeralia* cuiuscunque generis pro *adiectiuis*, propterea quod non possunt stare ipsa per sese, non addito aut cogitato certo aliquo *substantiuo*. Cadit igitur idea in *deminutiuum* *ullus*, quod in ipsum *unus*. Difficilius autem iudicatu est, cur *ullus* etiam, ut *quisquam*, non possit usurpari, nisi addita notione *negatiua*. Nam quae causa apertissima in pronomine *quisquam* erat, dico additum illud *quam*, non sane conspicitur in *ullus*. Atqui apparet, huius rei causam in ipsa forma *deminutiua* esse quaerendam. Nam ut potest fortasse cum quadam ironia aut despicentia *deminuta* notio talis pronominis, quale est *unus*, cogitari in sententia *affirmatiua*: ita melius multo in *negatiua*, propterea quod tum ex re est dictum, si *deminuitur* notio illius pronominis quam maxime. Cognatum est autem *unus* (pro *quunus*, *quonus*) cum *quis*, ut εἰς (ἔμς) cum ἀμός (facile enim abit notio τς in notionein εἰς), atque manent huius rei nestigia etiam in genitiuo *unius*, datiuo *uni*; ut possis concludere, *unus* antiquis temporibus sonuisse *unis*. Respondent sibi porro me iudice ut *ibi* et *ubi*, *inde* et *unde*, *is* et *quis*, *ita* (it, et) et *ut*; sic *ollus* (ille) et *ullus* (quollus). Concludi enim potest, antiquitus *ullus* (sine dubio etiam *unus*) non solum fuisse pronomen *indefinitum*, set etiam, ut omnia eiusmodi uocabula, *relatiuum*: ut dixerint fortasse antiquissimi Romani, si non, ut *is*, *qui*, sic *ollus*, *ullus* pro *der*, *wer* *irgend*, attamen *ullus* — *allus*. Id nemo perspexit ne *Schmid-*

tius quidem *l. l.* pag. 48. Iam usu quidem Latino *ille* (ut temere iuniores Romani quidem dixerunt pro *illus* tanquam ad analogiam prouominum *iste*, *ipse*, quorum quidem radices isti non sane perspexerunt) respondere constat Graecum *κεῖνος*, *ἐκεῖνος* (*κῆνος*, *τῆνος*). Set quemadmodum modo sumpsimus, ut *ullus* (quollus), sic *unus* (quonus) etiam pro *relatiuo* antiquis temporibus usurpatum esse; pronomen *unus* (*wer*) igitur respondisse pronomini *onus* (*der*): sic non potest esse dubium, quin antiquissimi Graeci, ut *τις*, *τίς* pro *is*, *quis*, sic dixerint *τεῖνος*, *ἐτεῖνος* pro *ollus*, *ullus* (*onus*, *unus*). Atque una dialectus Dorica seruauit illud *τ* in *demonstratiuo* *τῆνος*. Nam per abusionem nescio quam in Ionica, Attica, Aesolica dialecto dicitur *κεῖνος*, *ἐκεῖνος*, *κῆνος* (quod debet esse *relatiuum*) pro *demonstratiuo* *τεῖνος*, *ἐτεῖνος*, *τῆνος*. Abhorret enim a prouominibus *demonstratiuis* littera *κ*, quae est propria, ut *τ* et *π*, *relatiuorum*. Desiderantur quidem uestigia pronominis *relatiui* *κεῖνος*, *ἐκεῖνος*, ut non possit plane ostendi, id significasse simile quiddam atque *quis*: ueruntamen reuera existisse pronomen *demonstratiuum* *τεῖνος*, *ἐτεῖνος* pro isto *κεῖνος*, *ἐκεῖνος*, cum sit uerisimile propter Doricam illam formam *τῆνος*, cum propter cognatum illud *ἔτι*, pro quo nemo unquam dixit *ἔτι*, tum propter pronomen istud *demonstratiuum* *ὁ*, *ἡ*, *τὸ δεῖνα*. Manere enim in quibusdam uocabulis, quae *demonstrationem* aliquam indicent, litteram *δ* pro *τ*, comprobauit *Schmidtus l. l.* pag. 41. Non autem crediderim, quod idem uir eodem loco contendit, ex ipso *δέλς* factam esse *δεῖνα*. Debebāt enim fieri *δένα*. Potius dixerim, existisse antiquitus praeter *δέλς* etiam *δεῖνος* cuius simili uerbi *demonstrandi*: cuius accusatiuos pluralis numeri potuit usurpari pro *aduerbio*. Certe prorsus huic *δεῖνος* responderet illud maxime cognatum uel potius idem *κεῖνος* (pro *τεῖνος*). Quod ad ipsas igitur *formas* attinet, maxime sibi responderent *unus* (quonus) — *onus* (*inus*) et *κεῖνος* — *τεῖνος*. Usus autem iussit, respondere Graeco isti *κεῖνος* (pro *τεῖνος* (*δεῖνος*)) *deminutiuam* illam formam Latini pronominis *onus*, id est, *ollus* (pro *onulus*, *onlus*) *ille*. Atque ipsa quidem *significatio* pronominis *ille*, ex qua *illo* locum significat et ab loquente et ab eo, quicum loquimur, diiunctum; id est, *tertiam* personam (uide *Schmidtium l. l.* pag. 50), praeclare uidetur sequi ex eo, quod *ille* est forma *deminutiua*. Nam cum pronomen *relatiuum* *ullus* sine dubio, ut uidimus, antiquissimis temporibus significauerit *wer irgend*, ut notio eius simillima esset notioni pronominis *qui-*

cunquo et cogitari deberet de *remotissimis* quibusque: pronomen *ille*, quod ab initio fuit *demonstratiuom*, ipsum quoque debebat significare demonstrationem loci quam maxime *remoti*, id est, diiuncti et ab loquente et ab eo, quicum loquimur. — Ut autem in deriuatis pronominiibus *κεῖνος*, *unus* litterae *ν*, *π* sunt *fortuitae*: sic *fortuitus* esse cognatas illas litteras *μ*, *π* in *ἄμῶς*, *εἷς* (*ἕμῖς*), *homo*, eiusque deriuatis, apparet. Non dubito igitur, quin ipsae illae *formae* *ἄμῶς*, *εἷς*, *homo* referendae siut ad stirpis illas *τις*, *quis*: atque contendo, et *ἄμῶς*, *εἷς* (*ἕμῖς*) apud ueteres Graecos sonuisse *ταμῶς*, *τεῖς* (*τέμῖς*) et *humo* (ut pro *homo* antiquissimos Romanos dixisse uidimus initio huius capituli) dictum esse pro *umo*; *umo* autem pro barbaro *quumo*, ut *ubi* pro *quubi*, *us* pro *quus*, alia. Iuniores quidem Romani, qui saepe cum obscuriore littera *u* commutauerunt urbaniozem illam *o*, ex *umo*, *humo* fecerunt *omo*, *homo*. Set cum littera *h* in nomine *homo* fungatur uice litterarum *qu*, apparet, cur *Plautus* (uide *Lingium Quaest. Plaut. I*) ante hoc nomen saepe admiserit *hiatum*.

Addere quaedam liceat de pronomine *ipse*. Nihil est autem certius, quam dictum esse *ipse* pro *ipse* atque hoc *pe* idem esse atque illud, quod deprehenditur in *quippe*. Sine dubio igitur ueteres Romani dixerunt, ut *quis* — *is*, *quisquis* — *iste* (pro *istis*), *ullus* — *allus* (*ille*), sic *quispe* — *ipse*. Hoc *pe* autem cum ipso *que*, *ce* uel maxime cognatum esse, eo minus dubito contendere, quod uerissimillimum est, apud Graecos praeter *τις* exstitisse etiam *πίς*. Proprie igitur *ipse* nihil aliud significauit, nisi *gerade er*. Ad argutias autem confugit *Schmidtus l. l. pag. 25*, quippe qui, auctore *Boppio*, in *ipse* praeter pronomen tertiae personae *is* agnoscere sibi uideatur radicem *reciproci*, id est, *su*. Formam illam *ipsipe* siue *ipsippe*, de qua *Festus* tradit, apparet ortam esse ex *ispepe*, ut *hiocce* ex *hiscece*. Cum in *ipse* (*ipse*) syllaba *pe* ab initio fuerit *aduerbium*, apparet, cur antiquissimi Romani non potuerint (id quod opinatus est *R. Lepsius* in *Tabulis Eugubinis pag. 54*) dicere *ispud* aut *ipsud*, ut *id*, *illud*, *istud*, *aliud*. Nam ipsam illam usitatam declinationem *ipse*, *ipsa*, *ipsum* ualde recentem esse, sequitur profecto ex eo, quod apud *Plautum* (cf. *Schmidtium l. l. pag. 26*) pro *ipsa*, *ipsam* non raro dictum uidemus *eapsa*, *eampse* (pro *eape*, *eampe*), alia. — Graecum pronomen *αὐτός* (pro *ἄστος*, *ἄμστος*, ut *οἶτος* pro *ὄστος*), quod ipsum quoque ab initio significauit *gerade er*, in hoc differt a Latino *ipse* (*ipse*), quod

in Graeco ad urgendam notionem pronomini *demonstratiui* ἄμς (τάμς) additum est alterum *demonstratiuom* τός; in Latino aduerbium *pe*, quod referendum est ad pronomem *relatiuom* *pis* pro *quis*. Similiter Graeci dicunt οὔτος (pro ὅστος, τόςτος), Romani *hic* (pro *hisce*). Atque cum particulae *pe*, *ce* ab initio significauerint *wie auch*, potuerunt quidem certe assumere notionem *urgendi* hanc: *wie auch geleugnet werden mag*: ut prorsus distent *pe* et *ce* ab *que*, particula illa *fluctuandi*: *wie es auch damit stehe*.

C A P U T II.

Quod ad communem usum pronomini *nemo* attinet, id uidisse mihi uideor, inter nomina *defectiua* illud numerandum esse: ut, qui eius casus non sint in usu, suppleantur ex pronomine *nullus*. At de hac re uix cogitasse uidentur homines docti. Id unum adhuc satis erat notum (cf. ueteres interpretes ad *Plaut. Capt. III, 5, 106*), *genitiuom neminis* non inueniri, nisi paucis locis apud antiquissimos poetas. Nam errant uehementer, qui hunc *genitiuom* *semel* ab ipso *Cicerone* usurpatum esse existimant. Laudant quidem locum ex *epist. ad Att. XIV, 1, 1* *affirmabat, in sermonem se post Idus Mart. praeterquam Lepidi uenisse neminis*: quo tamen loco cum optimis codicibus legendum esse *nemini*, ostendi *p. Arch.* pag. 96. Nou minus prauos est *genitiuos neminis*, quem praebent aliquot codices apud *Cic. p. Cacl. 23, 56* *nunquid obiecit? nunquid denique fecisset mentionem, si hic neminis nomen detulisset?*: quo loco Palimpsestus Taurinensis habet *nullius*, plerique codices *nemini*. Superiore quidem anno loco laudato indicaueram; ueram esse uolgatam lectionem *nemini*: quod non debebam facere, siquidem ipsa quoque est peruersa. Hoc enim loco non potuit dici *nunquid* — *si nemini* pro *nunquid* — *nisi cui*. Nihil certius, quam deleto pronomine *nemini*, pro quo alii codices substituunt *neminis*, Taurinensis *nullius*, scribere *nisi* pro *si*. Anticus enim librarius cum uerba *mentionē nisi* legisset sic *mentionem si*, secuti librarii inseruerunt aut *nemini*, quod facile putabant potuisse omitti propter proximum nomen, aut istud *neminis* aut *nullius*. Restituimus igitur hunc locum hoc pacto *nunquid denique fecisset mentionem, nisi hic nomen detulisset?* Sic paulo post *L. Herennium dicere audistis, uerbo se molestum non futurum fuisse Caelio*,

nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hæc detulisset.

Pro neminis autem Romani dixerunt nullius. Cf. Cic. d. Nat. D. I, 8, 21 Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Tusc. V, 29, 83 oratio habetur in omnis partis, ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adiuncta, iudicari. d. Orat. II, 2, 9 nullius memoria iam refellente. Sic Brut. 18, 69; in Uerr. A. II, l. II, 16, 40; p. Font. §. 3 in.; p. Cluent. 38, 107; p. Mur. 40, 87; p. Syll. 17, 49; 30, 85; p. Cael. 12, 28, multis aliis locis.

Apud Caesarem neque inueni neminis neque nullius. — Apud Script. ad Heren. III, 3, 5 nullius pro rei ueritate metuere inimicitias. IV, 34, 45 nullius maeror et calamitas istius explere inimicitias potuit.

Cornel. Nep. XV, 5, 5 nam nullius in ista re minus uti consilio uolo. XX, 3, 6 Nullius unquam consilium non modo antelatum, set ne comparatum quidem est. XXI, 2, 2 nullius pepercit uitae.

Salust. B. I. 110 in. aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui: hoc uno loco.

Liu. III, 54 m. ubi nullius ager est uiolatus. IV, 24 ext. ut uis a censoribus nullius auctoritate deterreri quiuerit. VI, 16 in. Nullius nec oculi nec aures indignitatem ferebant. VII, 35 m. ipsi nullius auxilio egueritis. XXIV, 8 ext. Magis nullius interest, quam tua. XXVI, 41 in. Aduersae pugnae in Hispania nullius in animo, quam meo, minus obliterari possunt. Sic XXX, 14 m.; 15 in.; XXXI, 30 m.; XXXVIII, 47 in.; 48 ext.; XXXIX, 9 ext.; 54 ext.; XLV, 44 m..

Tacit. Ann. I, 6 m. ceterum in nullius unquam suorum necem durauit. XI, 6 m. quodsi in nullius mercedem negotia tueantur. Hist. II, 20 in. quanquam in nullius iniuriam insigni equo ostroque ueheretur.

Ne ablatiuom quidem nemine ullo loco inueniri, nec apud Ciceronem, nec apud aequalis eius in epistolis, nec apud Scriptorem ad Herennium, nec apud Caesarem, Nepotem, Salustium, Liuium, nescio quomodo ignoratum est, usque dum id significauit ad orat. p. Arch. pag. 96. Omnes enim per multa saecula sine ulla dubitatione usurpauerunt nemine: ut, si uellem, complura ex recentiorum scriptis possem afferre exempla. Ueteres autem, ut nullius pro neminis, sic pro nemine dixerunt nullo.

Cf. Cic. d. Amic. 9 30 sic munitus est, ut nullo egeat.

d. Off. III, 9, 38 *a nullo uidebatur.* 17, 68 *ipsae enim ferae nullo insequente saepe incidunt.* 19, 78 *etiamsi id possis nullo resellente obtinere.* *Tusc.* V, 13, 38 *eum alio nullo, nisi cum ipso deo, comparari potest.* *Brut.* 10, 39 *ante Solonis aetatem et Pisistrati de nullo, ut diserto, memoriae proditum est.* 88, 301 *ut nullo referente omnia aduersariorum dicta meminisset.* *Orat.* 9, 33, *eloquentia, quam in nullo cognouit Antonius.* 41, 140 *de cuius meritis tanta senatus iudicia fecisset, quanta de nullo.* *Sic Part. Orat.* 35, 120; *p. Quint.* 14, 46; *p. Rosc. Am.* 10, 28; *Philipp.* I, 15, 37, *aliis locis multis.*

Caes. B. C. III, 68 *ext. protinus his munitioibus defendente nullo transcenderunt: hoc uno loco.*

Cornel. Nep. XVIII, 10. 3 *ab nullo se plus adiuuari posse intelligebat.* XX, 3, 4 *ut nullo recusante regnum obtineret.* XXIII, 5, 1 *Romam profectus est nullo resistente.* XXV, 8, 2 *sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiaris.*

Salust. B. I. 96 *in. ipse ab nullo repetere.* 99 *ext. nullo subueniente.* 100 *m. simul consul, quasi nullo imposito, omnia providere.* 109 *in. aut nullo aut quam paucissimis praesentibus.*

Liu. III, 52 *in. Secuta exercitum plebs, nullo, qui per aetatem ire posset, retractante.* 56 *m. nullo morante, arreptus a uictore, „Prouoco“ inquit.* V, 19 *in. ad scribendum nom exercitum redit, nullo detractante militiam.* 32 *in. Romani praedas, nullo eam uim arcente, egerunt;* VI, 16 *ext. postulante nullo.* 32 *in. nullo impediante.* VII, 11 *m. nullo detractante militiam.* XXI, 49 *in. nullo repugnante.* *Sic* XXII, 3 *m.;* 47 *ext.;* XXV, 11 *m.;* 39 *in.;* XXVI, 37 *m.;* XXIX, 22 *in.;* XXX, 16 *in.;* 34 *m.;* XLII, 66 *m., aliis locis.*

Tacit. Ann. I, 2 *m. nullo aduersante.* 48 *ext. nullo, nisi consciis, noscente.* 62 *in. nullo noscente.* III, 17 *m. respondente nullo.* IV, 66 *m. nullo mirante.* 70 *ext. nullo nominatim compellato.* XIV, 1 *ext. credente nullo.* *Hist.* I, 37 *in. nullo exposcente.* II, 73 *ext. Tum ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saeuitia, libidine, raptu, in externos mores proruperant.* III, 61 *in. nullo in bellum adhortante.* 84 *ext. nullo illacrimante.* V, 6 *ext. nullo iuuante, aliis locis. — At Tacitus quidem, quanquam tot locis dixit nullo pro nemine, tamen bis est usus ablatiuo nemine. Unus locus est Ann. XVI, 27 m. Et oratio Principis per quaestorem eius audita est. Nemine nominatim compellato patres argue-*

bat, quod publica munia desererent. Corruptum esse nemine ex nullo, non audebis dicere: etsi idein Tacitus Ann. IV, 70 ext. scripserat nullo nominatim compellato. Alter locus Hist. II, 47 ext. Plura de extremis loqui, pars ignaviae est: praecipuum destinationis meae documentum habete, quod de nemine queror. Noli conicere quod neminem queror. Queri quidem potes rem, non tamen hominem. — Plures loci ex deterioribus Latinitatis auctoribus poterunt afferri: quos tamen non soleo respicere.

Quod hic non commemoravi unum illum locum ex oratione Ciceronis in Tog. Cand. (pag. 526 ed. Orell.), ubi scriptum est sic: Praetereo illum nefarium conatum tuum et pene acerbum et luctuosum populo Romano diem, cum Cn. Pisone socio neque alio nemine caedem optimatum facere uoluisti: id non sane potest uideri mirum causamque afferam infra, ubi dicam de uocabulo *nonnemo*.

C A P U T III.

Uenio nunc ad ceteros casus pronominiis *nemo*. Atque apud Ciceronem quidem casus hi *nemo*, *nemini*, *neminem* saepissime inueniuntur uel pro substantiuo uel etiam pro adiectiuo; set tametsi pro *neminis* et *nemine* semper scribit *nullius* et *nullo* et pro adiectiuo et pro substantiuo, tamen nullo, nullo, inquam, loco *nullus*, *nulli*, *nullum* usurpauit pro substantiuo *nemo*, *nemini*, *neminem*.

Quoniam autem ignorauerunt adhuc homines doctissimi, repugnare Tulliano sermoni, ut *nullus*, *nullum* pro *nemo*, *neminem*, sic *nulli* pro *nemini*, non raro de coniectura aut cum codicibus deterioribus sic uoluerunt scribi.

Cf. p. Caec. 13, 39 *Huiusce rei uos statuētis nullam esse actionem, nullum experiundi ius constitutum, qui* (id est, quomodo, inwiefern) *obstiterit armatis hominibus, qui multitudine coacta non introitu, set omnino aditu quempiam prohibuerit?* Pro *nullum*, quod plerique habent codices rectissime, praua exstat lectio *nulli*, quae debetur librario, qui non intellexerat, *qui* esse *ablatiuom*. Ne editores quidem id uidentur reputauisse. — p. Marcell. 2, 4 *Nullius tantum est flumen ingeni, nulla dicendi aut scribendi tanta uis, tanta copia, quae non dicam exornare, set enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit.* Sic rectissime Wollius, Orellius cum aliquot codicibus. Lectionem multorum codicum *nulli* pro *nulla*, quae nec est *Tulliana* nec sane elegau-

tior, si quaeratur de sententia, recepta lectione, non debet recipere Graenius neque commendare Orellius. — *ad Att.* I, 14, 5 *Operae Clodianae pontis occupant; tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur UTI ROGAS.* Codices omnes uidentur praebere uerissimam lectionem *nulla* estque coniectura admodum praua *nulli*, quam praebent editiones Ascensiana et Cratandrina. — *ibid.* XV, 20, 4 *De Fadio, ut scribis, utique: alii nemini.* Eaedem editiones temere *nulli alii pro alii nemini.*

In subditiua quidem illa epistola *Ciceronis ad Octauium* in *epist. Cic. ad Brut.* II, 8 *ext.* prodidit se *Pseudo-Cicero*, siquidem scripsit sic: *quibus ille saeptus omnia misceret, nulli parceret, sibi uiueret. Cicero* scripsisset *nemini parceret.*

Eosdem casus, quos *Marcus Cicero, Quintus* quoque frater nonnunquam usurpauit; ut *nemo d. Petit.* 2, 7; 4, 13; 7, 27; 13, 51; *nemini ibid.* 5, 20; 12, 47; *neminem ibid.* 7, 26.

Etiam in epistolis *familiarium ad Ciceronem* non alios casus inueni, nisi *nemo, nemini, neminem; semel tantum nulli pro substantiuo ad Fam.* X, 31, 5 in epistola *C. Asini Pollionis: Illud me Cordubae pro concione dixisse, nemo uocabit in dubium, prouinciam me nulli, nisi qui ab senatu missus uenisset, traditurum.*

Etiam apud *Scriptorem ad Herenn.* tris illos casus legi *nemo, nemini, neminem;* at nullo loco *nulli pro substantiuo.*

Caesar saepe quidem scripsit *nemo et neminem, set datiuo nemini, uno loco excepto B. C. I, 85 ext. (si id sit factum, nociturum se nemini),* abstinuit, ut *genitiuo et ablatiuo.* Pro *nemini* autem *quinquies* apud hunc inuenitur pro *substantiuo nulli:* ut *B. G. II, 6 m. Nam cum tanta multitudo lapides ac tela conicerent, in muro consistendi potestas erat nulli. 35 ext. quod ante id tempus accidit nulli. VII, 20 in. summam imperi se consulto nulli discedentem tradidisse. B. C. 79 ext. quorum nulli ex itinere excedere licebat. 85 in. Nulli omnium has partis minus conuenisse.*

Apud *Cornelium Nepotem* saepe *nemo, nemini, neminem* reperitur, set pro *nemini ter* deinceps etiam *nulli pro substantiuo V, 4, 3 Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit.*

Apud *Salustium* hos duos tantum inueni casus *nemo et nemini;* casu quodam *accusatiuos neminem* in eius operibus non legitur: nam ne *nullum* quidem sic usurpauit.

Liuius saepissime scripsit et *nemo* et *neminem*, set raro usurpauit *datiuom nemini*, id est, *sex locis* X, 22 in. *Nemini dubium erat, quin destinaretur.* XXI, 11 in. *nemini omnium certare oratione cum eo necesse fuit.* 30 in. *Tum nemini uisum id longum.* 53 in. *Ceterum nemini omnium maior iustiorque, quam ipsi consuli, uideri.* XXV, 6 ext. *nemini spes emerendi stipendia adempta.* XXXVII, 5 m. *Nemini ad Naupactum iri placuit.* At saepius sic *nulli* inuenitur, ut XXII, 35 ext. *quia in tali tempore nulli novos magistratus uidebatur mandandus.* XXVI, 12 ext. *cum fames nulli non probabilem causam transitionis faceret.* XXX, 4 m. *Se uno frustra tendente, nulli alii pacem placuisse.* XXXII, 21 in. *Nulline uenit in mentem, cur, qui nondum socii sunt, plus petant, quam socius?* 35 ext. *Nulli omnium placere partium destinatio.* XXXVII, 15 in. *Nulli ea placere sententia.* XL, 34 ext. *nulli alii, quam consulibus, senatum crediturum esse.* XLV, 32 m. *nulli ciuilibus animus.* 36 ext. *ut aditus nulli praeterea esset.* 44 m. *quem nulli datum Galli possiderent.* Aliis locis.

Tacitus denique saepe quidem dixit *nemo* et *neminem* et, ut proximo capite uidimus, *bis* etiam *nemine*, uerumtamen abstinuit *datiuo nemini* pro eoque solitus est scribere *nulli*, ut *Ann.* XI, 16 m. *modo comitatem et temperantiam nulli inuisam, saepius uinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans.* XV, 61 in. *Idque nulli magis gnarum, quam Neroni.* *Hist.* IV, 43 in. *qui nulli unquam sub Nerone periculum facessisset.* *d. Germ.* 22 in. *Diem noctemque continuare potando nulli probrum.* 31 ext. *Nulli domus aut ager aut aliqua cura.*

Ex his omnibus meo iure uideor concludere, habitum esse pronomen *nemo defectiuom* ab ipsis Romanis et fortasse praeter *nominatiuom* et *accusatiuom* a multis casus usurpatos esse nullos. Atque hanc quidem ob causam *nullo* loco apud quenquam scriptorem (quod tamen adhuc ignorauerant homines docti nescio quomodo) inuenitur *nullus* et *nullum* pro *substantiuo*: quanquam *semper nullius* et *nullo* pro *nemini* et *nemine* et non raro *nulli* pro *nemine* dixerunt. Atque haec quidem accedit causa, ut prorsus reiciatur et apud *Cic. in Uerr. A.* II, l. III, 24, 59 istud *nullus* pro *nullis* (quod tandem optimis Zumpti libris confirmatum est) et apud *Liui.* XXIII, 24 m. uolgatam istud *Romanorum nullus*. Locum conclamatum sic restituo: *tamen Poenorum prima eruptione percussi C ceciderunt; haut plus quam triginta Romanorum.* Ne *Kreyssigius* quidem reputauit, differre

inter se *haut plus et haut minus*. Similiter Romani dicunt quidem *incipio, incipiebam facere*, non tamen *incepti facere* pro *coepi facere*, nec *inceperam facere* pro *coeperam facere*, alia: propterea quod, si quo ex uerbo supplet lingua formas in alio uerbo desideratas, non sane potest praeter eam illius uerbi formam, quae reuera exstat et manet, stare altera etiam ex hoc uerbo desumpta. Utraque enim significauisset prorsus idem: quod solet praeter ceteras fugere lingua *Latina*.

Atque poetae quidem aetate, ut *Uirgilius* et *Horatius*, qui ob metrum omnibus casibus poterant uti, solum usurpauerunt *nominatiuom nemo*, uelut *Uirg. Aen. V, 305; 349; 383; IX, 6; Horat. Serm. I, 1, 1; 87; 108; 3, 68; 4, 22; 6, 2; 107; 9, 45; 10, 44; II, 7, 34; Epist. I, 1, 39; II, 2, 13*. At non raro apud eos inuenitur *nulli* pro *nemini*, ut apud *Uirg. Aen. IV, 456; V, 610; VI, 563; 673; VIII, 502; XI, 157; 343; XII, 27*; apud *Horat. Od. I, 24, 10; 36, 6; Serm. II, 2, 134; 5, 5; Epist. II, 2, 148; 175*. *Nulla* tamen pro *nemine* apud solum *Uirgilium*, ut *Georg. I, 128; Aen. III, 221; XII, 4, 23*. Neque apud *Uirgilium* neque apud *Horatium* inuenitur pro *substantiuo nullus, nullius, nullum*; at *semel* apud *Horatium Epist. I, 1 14 nullius magistri*.

Iam erit explicandum, quomodo pronomen *nemo* potuerit fieri *defectiuom*. Nam mirum sane primo aspectu debet uideri, cum *homo* omnis habeat casus, non habere *nemo*, quod tamen ipsum ex uocabulo *homo* est ductum. Atqui ob eandem causam etiam *nemo* antiquissimis temporibus non habuit locum, nisi uel *nominatiuo (nemo)* uel *accusatiuo (neminem)*, ob quam *nihil* et *aliquid* omni tempore. Apparet enim, primis illis temporibus, quibus simpliciter homines loquebantur, omnium saepissime debuisse usurpari duos illos casus maxime obuios, dico *nominatiuom* et *accusatiuom*. In plerisque quidem uocabulis mox coepti sunt formari etiam ceteri casus; uerumtamen in quibusdam pronomibus, ut in *nihil, aliquid, nemo*, quorum duo illi casus, non plures, apud maiores toties erant usurpati, posterius, etiamsi sentirent defectum, non tamen ausi sunt formare ex eadem stirpe *genitiuom, datiuom, ablatiuom*. Opinabantur enim, maiores de industria in istis pronomibus abstinuisse his casibus, neque perspexerunt, antiquorum temporum simplicitatem ita tulisse, ut acquiescerent homines duobus illis casibus. Itaque propter errorem posterorum (similem quidem errorem posterorum attigimus supra cap. 1, quod attinet ad collocationem praeposi-

tionis *cum ante* ablatiuom) pronomina illa facta sunt *defectiua*, ut supplerentur tres illi casus alio modo. Suppleuerunt igitur *aliquid* ita, ut dicerent *alicuius rei*, *alicui rei*, *aliqua re*; *nihil*, ut dicerent *nullius rei*, *nulli rei*, *nulla re*; *nemo* denique, ut dicerent *nullius*, *nulli*, *nullo*. *Datiuom nemini* quidem, pro quo secundum analogiam *genitiui* et *ablatiui* supplendum erat *nulli*, uidimus multos, ut ipsum *Ciceronem*, nequaquam repudiauisse. Hoc foedior est error, quod per se *nemo* et *nullus* prorsus diuersum quiddam (de qua re uide *cap. 1 m.*) significant, quodque nullus casus pronominis *nullus* (ut eodem *capite ext.* uidimus) uere potuit usurpari pro *substantiuo*.

Quanquam autem errore posterorum factum est, ut hi casus *neminis*, *nemine* ab omnibus fere repudiarentur: tamen conuicto illo errore haut saepe quisquam contendet, nobis esse restituendos illos casus, usu repudiatos. Hoc esset, ut *Tullius* scite *Orat. 46, 155* loquitur, *sero emendare antiquitatem*. Quasi uero quisquam dicere nunc uellet uerius quidem certe *Caiocum* pro inueterato *cum Caio!*

Tabula I

pronominis *substantiui nemo* cum casibus
suppletis ex pronomine *nullus*.

	<i>Cicero</i>	<i>Caesar</i>	<i>Nepos</i>	<i>Salustius</i>	<i>Livius</i>	<i>Tacitus</i>
Nom.	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)	<i>nemo</i> (nunquam <i>nullus</i>)
Gen.	<i>nullius</i> (nunquam <i>neminis</i>)		<i>nullius</i> (nunquam <i>neminis</i>)	<i>nullius</i> (nunquam <i>neminis</i>)	<i>nullius</i> (nunquam <i>neminis</i>)	<i>nullius</i> (nunquam <i>neminis</i>)
Dat.	<i>nemini</i> (nunquam <i>nulli</i>)	<i>nulli</i> (semel <i>nemini</i>)	<i>nemini</i> (ter deinceps <i>nulli</i>)	<i>nemini</i> (nunquam <i>nulli</i>)	<i>nemini</i> <i>nulli</i>	<i>nulli</i> (nunquam <i>nemini</i>)
Acc.	<i>neminem</i> (nunquam <i>nullum</i>)	<i>neminem</i> (nunquam <i>nullum</i>)	<i>neminem</i> (nunquam <i>nullum</i>)		<i>neminem</i> (nunquam <i>nullum</i>)	<i>neminem</i> (nunquam <i>nullum</i>)
Abl.	<i>nullo</i> (nunquam <i>nemine</i>)	<i>nullo</i> (nunquam <i>nemine</i>)	<i>nullo</i> (nunquam <i>nemine</i>)	<i>nullo</i> (nunquam <i>nemine</i>)	<i>nullo</i> (nunquam <i>nemine</i>)	<i>nullo</i> (bis <i>nemine</i>)

CAPUT IV.

Proprium autem discrimen pronominum *nemo* et *nullus*, quod in *substantiuo nemo* prorsus non curabatur, siquidem inusitati quidam casus pronominis *nemo* ex pronomine *nullus* supplebantur, in *adiectiuis* pronominiibus *nemo* et *nullus*, cum utrunque cum substantiuis personalibus posset iungi, et potuit seruari et reuera est seruatum, id est, *nominatiuo* et *accusatiuo*, a multis etiam *datiuo*. Sic autem proprie *nemo* et *nullus* inter se differebant, ut referretur *nemo* ad *qualitatem*, *nullus* ad *quantitatem*. *Nemo scriptor* igitur significat *nemo scriptor, qualiscunque est; nullus scriptor* autem *nullus scriptor, quotquot sunt*.

Primum autem eos locos afferam, quibus *nemo* cum substantiuis personalibus est iunctum.

Cic. d. Nat. D. II, 32, 81 (*nemo opifex*); 66, 167 (*n. uir*); *d. Diu.* I, 39, 86 (*n. philosophus*); II, 64, 132 (*n. poeta*); *d. Senect.* 23, 84 (*n. uir*); *d. Amic.* 12, 42 (*n. adiutor*); *d. Off.* III, 2, 10 (*n. pictor*); *d. Leg.* II, 16, 41 (*n. uir*); 19, 48 (*n. heres*); *Orat.* 30, 108 (*n. orator*); *d. Opt. Gen.* 2, 6 (*sic*); in *Uerr. A.* II, l. V, 31, 81 (*n. uir*); 32, 83 (*n. ciuis*); *p. Font.* 16, 36 (*sic*); in *Cat.* IV, 8, 16 (*n. seruos*); *p. Flacc.* 13, 31 (*n. praedo*); *p. Cael.* 22, 55 (*n. testis*); *p. Lig.* 4, 11 (*n. ciuis*); *Philipp.* II, 1, 1 (*n. hostis*); 18, 45 (*n. puer*); VIII, 6, 18 (*n. ciuis*); XIII, 4, 8 (*sic*); *ad Fam.* V, 2, 7 (*sic*). — in *Pis.* 15, 36 (*nemini ciui*); *ad Fam.* XI, 16, 2 (*sic*); XII, 27 in. (*n. equiti*); *ad Att.* VI, 3, 5 (*n. negotiatori*). — *d. Nat. D.* I, 43, 121 (*neminem nec deum nec hominem*); *d. Diu.* II, 46, 97 (*n. auctorem*); *d. Off.* II, 5, 16 (*n. ducem*); *Acad.* II, 44, 136 (*n. consulem*); *Tusc.* V, 22, 63 (*n. poetam*); *d. Leg.* II, 19, 47 (*n. pontificem*); *d. Orat.* I, 20, 91 (*n. scriptorem*); 28, 129 (*n. discipulum*); II, 28, 122 (*n. oratorem*); 46, 194 (*n. poetam*); in *Caec.* 1, 1 (*n. actorem*); in *Uerr. A.* II, l. I, 29, 74 (*n. defensorem*); *A.* II, l. II, 49, 120 (*n. senatorem*); *A.* II, l. V, 7, 17 (*n. seruom*); *ad Att.* II, 22, 2 (*n. testem*); VI, 2, 8 (*n. negotiatorem*).

Script. ad Herenn. IV, 16, 23 (*neminem regem*).

Caes. B. C. III, 61 in. (*nemo aut miles aut eques*).

Nou alio loco.

Cornel. Nep. XXV, 19, 3 (*nemo ciuis*); XXVII, 8, 2 (*neminem regem*).

Salustius nullo loco pronomen *nemo* iunxit cum substantiuo personali.

Liu. III, 66 *ext.* (*nemo uindex*); IV, 4 *in.* (*n. consul*); XXII, 60 *m.* (*n. comes*); XXIII, 15 *m.* (*n. ciuis*); XXVI, 41 *in.* (*n. imperator*); XXVIII, 32 *m.* (*n. miles*); XXX, 1 *in.* (*n. ciuis*); XXXVI, 24 *m.* (*n. defensor*); 40 *in.* (*n. imperator*); XXXVII, 53 *m.* (*n. miles*); XXXIX, 18 *ext.* (*n. exactor*); XLII, 3 *ext.* (*n. artifex*). — VI, 20 *m.* (*neminem auctorem*); 37 *in.* (*n. tribunum*); IX, 9 *ext.* (*n. ciuem*); X, 46 *in.* (*n. auctorem*); XXII, 60 *m.* (*n. ciuem*); XXIV, 15 *m.* (*n. hostem*); XXVII, 12 *in.* (*n. ducem*); XXVIII, 44 *ext.* (*sic*); XXXVI, 40 *m.* (*n. hostem*); XLI, 16 *ext.* (*sic*).

Nullo tamen loco apud *Liuium* inuenitur *nemini scriptori*.

Tacitus quidem se abstinuit pronominis adiectiuo *nemo* omnibus casibus, ut *Salustius*.

Confer iam hos locos, quibus *nullus* cum substantiuo personalibus iunctum est etiam *nominatio*, *accusatio* aut *datiuo*.

Cic. p. Caec. 20, 58 (*nullus seruos*); *p. C. Rab. Perd.* 12, 33 (*n. rex*); *in Cat.* II, 5, 11 (*sic*); 12, 27 (*n. custos, n. insidiator*); *p. Syll.* 5, 14 (*n. nuntius*); *in Pis.* 19, 44 (*sic*); 27, 67 (*n. pistor*). — *d. Nat. D.* I, 26, 72 (*nullum magistrum*); *d. Leg.* III, 10, 23 (*n. ducem*); *Brut.* 59, 214 (*n. poetam, n. oratorem*); *p. Rosc. Am.* 50, 145 (*n. seruom*); *in Uerr. A.* II, l. III, 11, 28 (*n. iudicem*); 38, 86 (*n. uicarium*); 44, 104 (*n. aratorem*); 60, 138 (*n. recuperatorem*); 88, 206 (*n. hominem*); *A.* II, l. IV, 9, 21 (*n. militem*); *A.* II, l. V, 22, 57 (*n. laudatorem*); 51, 135 (*n. propugnatores*); 59, 155 (*n. testem*); *p. Flacc.* 13, 31 (*n. praedonem*); *p. Syll.* 28, 79 (*n. testem*).

Rarissime *datiuo*, ut *ad Fam.* I, 9, 14 (*nulli ciui*): non pluribus, quantum scio, locis. Nam quod attinet ad locum *d. Off.* I, 20, 66, quem uolgo ineptissime edunt sic: *cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae succumbere*, hoc loco nos coniectura certissima pro *homini scripsimus omni*. — *Saepe* dici *nullius scriptoris*,

nullo scriptore a Cicerone, tantum commemoro: locos afferre nihil attinet.

Dolabella apud Cic. ad Fam. IX, 9, 2 (nulli imperatori).

Script. ad Herenn. II, 21, 33 (nullum inimicum. Habuit igitur hic scriptor uocabulum inimicus pro substantiuo).

Caes. B. C. II, 19 in. (nullus ciuis). Praeterea uno loco nullo hoste B. G. III, 6 ext..

Cornelius Nepos nullo loco nullus cum substantiuo personali iunxit.

Salust. B. I. 14 in. (hostis nullus). Non alio loco.

Apud *Liuium* quidem nec inueni *nominatiuom nullus scriptor*, nec *genitiuom nullius scriptoris*; raro tamen *nulli scriptori*, ut XXIX, 26 m. (*nulli duci*). At *quatuor locis nullum scriptorem*, ut VI, 28 in. (*nullum duce*m); XXXVI, 35 m. (*n. militem*); XXXVII, 39 in. (*n. hostem*); XLI, 8 m. (*n. militem*). Non raro *nullo scriptore*, ut VIII, 33 ext. (*nullo imperatore*); XXIII, 42 m. (*n. duce*); 47 ext. (*n. hoste*).

Tac. Ann. II, 84 m. (nulli uiro). Praeterea aliquot locis nullo scriptore, ut *Ann. II, 26 ext. nullo hoste*; IV, 11 in. (*n. auctore*); XII, 69 m. (*sic*); XIII, 39 ext. (*n. milite*); *Hist. III, 72 in. (n. hoste)*.

Id denique commemoro, apud *Ciceronem* nullum inueniri locum, quo legatur *nullus homo, nulli homini* aut, cum ab uno loco discesseris, *nullum hominem*. Hic scriptor semper dicit *nemo homo, nemini homini, neminem hominem*. Nemo autem mirabitur, semel *nullius hominis*, saepeque *nullo homine* apud illum inueniri. — Hi sunt loci, quibus legitur *nemo homo: d. Nat. D. I, 28, 78; II, 38, 96; in Uerr. A. II, l. V, 13, 34; ad Att. IV, 1, 5. Semel nemini homini p. Syll. 8, 25. Saepenumero neminem hominem: d. Nat. D. I, 43, 121 (n. nec deum nec hominem); Tusc. I, 41, 99; in Uerr. A. I, 1, 1; A. II, l. V, 26, 65; p. Font. 13, 29; p. Mil. 25, 68; ad Fam. V, 17, 3; XIII, 24, 2; XV, 10, 2; Fragm. D. 5, 4. — Nullius hominis legitur ad Fam. XIII, 42, 2; nullo homine in Uerr. A. II, l. II, 64, 155; A. II, l. III, 18, 45; ad Fam. VI, 9, 1; XII, 29, 1; XIII, 35, 1. Causa, cur *Tullius uno illo loco in Uerr. A. II, l. III, 88, 206 dixerit nullum hominem* ac non *neminem hominem*, apertissima est. Haec ibi leguntur *Sunt quaedam omnino in te singularia, quae in nullum alium hominem dici**

neque conuenire possint; quaedam tibi cum multis communia. Debat enim urgere notionem hanc *nullum hominem*, quotquot sunt ac satis peruersum fuisset hoc loco dicere *neminem hominem*, id est, *neminem hominem*, *qualiscunque est*, propterea quod, si esset alter etiam Uerres, in hunc dicerentur atque conuenirent eadem. — Iam uero est attendendum, *unum* fere *Ciceronem* usum esse hac uoce *nemo homo*. Nam praeterquam quod in epistola *Planci* apud *Cic. ad Fam. X, 18, 3* legitur *hominem neminem*, nullus alius locus mihi notus est. Set ceteri scriptores ne *nullus homo* quidem aut *nullum hominem* dixerunt et abstinuerunt etiam his casibus *nullius hominis*, *nulli homini*, *nullo homine*, set simpliciter utuntur *nemo*, *nullius*, *nemini* (aut etiam *nulli*), *neminem*, *nullo*. Uideant igitur ei, qui scribere solent *nullus homo* et *nullum hominem* quique opinantur, nimis eleganter dici *nemo homo* et *neminem hominem*, quam uehementer errent, cum et nullam fere illi casus habeant auctoritatem et certe, si quando, sic loquendum sit ob causam eandem, ob quam *Tullius uno* illo loco dixit *nullum hominem*. — Iam uero quod non facile inuenieris *nullus puer*, *uir*, *senex*, *nullum puerum*, *uirum*, *senem*, set semper *nemo puer*, *uir*, *senex*, *neminem puerum*, *uirum*, *senem* (qui loci supra iam sunt allati): apparet, Romanos suo iure omnibus illis locis praetulisse *nemo*, propterea quod cum nominibus, quae pertinent, ut *homo*, ad *genus*, aut, ut *puer*, *uir*, *senex* ad *aetatem*, melius fere iungitur pronomen illud *qualitatiuom*, quam *quantitatiuom*.

Cum apud neminem scriptorem inueniatur *nemo*, *quisquam magistratus*, id est, in locis, quibus uolgo intelligitur is, qui *gerit magistratum*, set semper *nullus*, *ullus magistratus*, uides, etiam his locis non tam significari *hominem*, quam *personam*.

Cf. *Cic. d. L. Agr. II, 9, 24* Itaque excipitur hac lege non adolescentia, non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus ullus aliis negotiis ac legibus impeditus; reus denique, quo minus decemuir fieri possit, non excipitur. ad *Fam. XIII, 11, 3* Nam constituendi municipi causa hoc anno aedilem filium meum fieri uolui: is enim magistratus in nostro municipio nec alius ullus creati solet. — *Caes. B. G. 23 m.* In pace nullus est communis magistratus, set principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt controuersiasque minuunt. — *Liu. III, 55 in.* Ne quis ullum magistratum sine prouocatione crearet. VI, 41 m. nam

plebeius quidem magistratus nullus auspiciato creatur. Aliis locis. Nam quod scripsit Cicero in *Uerr. A. II, l. IV, 65, 146* *At quis appellat? Magistratus aliqui? Nemo. Senator? Ne id quidem. Syracusanorum aliquis? Minime.,* uidetur cogitasse sic *Nemo, qui magistratum gerit.* Non magis ex loco *Ciceronis p. Caec. 33, 97 sine cuiusquam aut magistratus aut iudicis aut periti hominis aut imperiti dubitatione concluderim, eum dixisse quisquam magistratus.* Quanquam facile concedo, non magno opere differre inter se notiones *personae et hominis.*

Etiam animaduerte, apud *nullum omnino scriptorem* alio loco cum nominibus *populorum* iungi pronomen *nullus; nullo* igitur loco dici *nullus Romanus, nullum Romanum.* Sequitur igitur, ista nomina, ut erat consentaneum, habita esse pro *adiectiuis.* Ab omnibus enim scriptoribus omnibus locis dicitur *nemo Romanus, neminem Romanum, a plerisque nemini Romano.* Nam dici ab is, qui *nulli* pro *substantiuo* pronominis *nemini* usurpant, *nulli Romano, nemo* mirabitur: non magis quam ab *omnibus* dici *nullius Romani, nullo Romano.*

Cf. *Cic. in Uerr. A. II, l. II, 46, 113 (nemo Siculus); p. Planc. 9, 22 (Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas); Nep. XV, 2, 1 (n. Thebanus); XXI, 1, 4 (n. Perses); Liu. III, 60 in. (n. Romanus); 30 in. (sic) XXIII, 8 m. (neminem Campanum); XXVII, 5 in. (n. Karthaginiensem, n. Siculum); XXVIII, 38 in. (n. Karthaginiensem); XXXIV, 9 m. (n. Hispanum); Tac. Ann. XV, 16 in. (n. Romanum).* — Idem ualet de nominibus *plebeius, patricius:* ut *Liu. IV, 4 m. (nemo plebeius); 6 in. (sic); 35 m. (neminem plebeium); VI, 37 ext. (sic); 40 ext. (sic).* Recte autem *nulli plebeio IV, 25 ext.* Idem porro de nomine *familiae:* ut *Cic. in Uerr. A. II, l. II, 77, 188 (nemo Uerrutius); ad Att. VI, 1, 18 (n. Cornelius).*

T a b u l a II

pronominis *adiectivi nemo* cum casibus
suppletis ex pronomine *nullus*.

	Cicero	Caesar	Nepos	Salustius	Liuius	Tactius
Nom.	nemo scriptor nullus scrip- tor	(semel nemo miles, semel nullus cuius)	nemo scrip- tor (nunquam nullus scrip- tor)	(semel nullus hostis, nun- quam nemo scriptor)	nemo scrip- tor (nunquam nullus scrip- tor)	
Gen.	nullius scrip- toris (nunquam nemini scriptoris)					
Dat.	nemini scrip- tori (semel nulli cui)				nulli scrip- tori (nunquam nemini scrip- tori)	(semel nulli viro, nun- quam nemini scriptori)
Acc.	neminem scriptorem nullum scriptorem		(semel nemi- nem regem, nun- quam nullum scriptorem)		neminem scriptorem nullum scrip- torem	
Abl.	nullo scrip- tore (nunquam nemine scrip- tore)	(semel nullo hoste, nun- quam nemine scriptore)			nullo scrip- tore (nunquam nemine scrip- tore)	nullo scrip- tore (nun- quam nemine scriptore)

CAPUT V.

Restant pauca quaedam de ipso usu pronominiis *nemo*. — Interdum quidem *nemo* liberiore quadam ratione cum plurali uerbi coniunctum est, uelut apud *Caes. B. C. I, 69 ext. nemo erat adeo tardus aut fugiens laboris, quin statim castris exeundum atque occurrendum putarent.* Similiter *ibid. 79 ext. quorum nulli ex itinere excedere licebat, quin ab equitatu Caesaris exciperentur.* Porro apud *Liu. XXIV, 20 ext. Quare diebus aliquot frustra ibi absumptis Hannibal, cum eorum nemo, qui ad lacum Auerni adissent, aut ipsi uenirent aut nuntium litterasque mitterent, castra inde mouit.* De simili usu pronominiis *quisquam* infra dicetur.

Rarissime *nemo* ita usurpatum inuenitur, ut significet *nullius preti*: quanquam, saepe sic dici *nullus*, infra ostendam. Mihi quidem *unus* tantum est notus locus apud *Cic. ad Att. VII, 3, 8 Set me mouerat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas: nisi forte pro neminem scribendum est nequam.* Nec enim ex eo, quod *nullus* dicitur pro *nullius preti*, sequitur, sic potuisse dici etiam *nemo*.

Non saepe *nemo* est dictum pro *ne quis*: ut apud *Cic. Tusc. V, 36, 105 uniuersos ait Ephesios esse morte multandos, quod, cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: „Nemo de nobis unus excellat: sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit.“ in Uerr. A. I, 17, 50 Quapropter primum ab dis immortalibus, quod sperare mihi uideor, hoc idem, iudices, opto, ut in hoc iudicio nemo improbus reperiat. Liu. V, 44 in. Ardeates, inquit, ueteres amici, noui etiam ciues mei, quando et uestrum beneficium ita tulit et fortuna hoc egit mea: nemo uestrum condicionis meae oblitum me huc processisse putet. IX, 11 ext. I lictor, deme uincla Romanis: moratus sit nemo, quominus, ubi uisum fuerit, abeant. Tac. Ann. III, 12 ext. cetera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec si qua in nos aduersa finguntur.*

Iam commemoro, non esse Latinum, quod recentiores tauto opere in deliciis habent, *nemodum*. Dicendum siue *adhuc nemo* siue *nemo adhuc*, uidelicet tum, si respicitur tempus ipsius, qui loquitur: uelut apud *Cic. d. Senect. 10, 32 Itaque nemo adhuc conuenire me uoluit, cui fuerim occupatus. d. Amic. 5, 18 sapientiam, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. d. Off. I, 1, 3 Et id quidem nemini uideo Graecorum adhuc contigisse. Acad. I, 2, 8 Quae au-*

tem nemo adhuc docuerat, ea, feci, ut essent nota nostris. *Tusc.* II, 22, 51 quem adhuc nos quidem uidimus neminem. V, 22, 63 adhuc neminem cognoui poetam. *d. Orat.* I, 21, 94 me cognosse eloquentem adhuc neminem. 28, 129 se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem. in *Uerr. A.* II, l. III, 84, 194 *Improbum facinus, nemini lege concessum, set fortasse adhuc in nullo etiam uindicatum.* 94, 219 hoc, quod adhuc nemo, nisi improbissimus, fecit. *p. C. Rab. Perd.* 8, 23 neminem unquam adhuc de sese esse professum. *p. Lig.* 6, 17 scelus, praeter te, adhuc nemo. *Philipp.* III, 9, 21 ego autem, qui intelligeret, quid dicere uellet, adhuc neminem inueni. *ad Fam.* II, 8, 1 πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui. IX, 18, 2 tantum uideo, nullius adhuc consilium me huic anteponere. XVI, 12, 6 Adhuc neminem uideram. Ceteris locis. At si respicitur tempus praeteritum, non sane potest dici adhuc nemo, nemo adhuc. Tum quidem Romanos attendendum est solitos esse negligere notionem illam noch: qua careas facile. Itaque nunquam tum dixerunt nemodum, set simpliciter nemo; rarissime nondum quisquam: semel quidem Cicero in *Pis.* 1, 2 Noti erant illi mortui: te uiuom nondum nouerat quisquam. Sic *Liu.* III, 55 ext. quia nondum in quenquam unum saeuiebatur. XXVIII, 2 in. Tria milia ferme aberat, cum hautdum quisquam hostium senserat. XXXI, 36 ext. Iam passim caedes ac fuga erat, necdum quisquam in castra Romana nuntius cladis peruenerat. — De uocabulis nullusdum, nihilidum infra dicitur.

Attendendum est denique, saepe numero Ciceronem pro-nomen nemo collocare in extremis euuntiationibus, propterea scilicet, ut ui eferatur maiore: ut *p. Rosc. An.* 10, 28 de bonorum uenditione et de ista societate uerbum esse facturum neminem. *p. Sest.* 9, 20 Atque eorum alter fefellit neminem. *Tusc.* II, 22, 51 quem adhuc nos quidem uidimus neminem. *d. Rep.* II, 25, 46 primusque in hac ciuitate docuit, in conseruanda ciuium libertate esse priuatum neminem. in *Uerr. A.* II, l. III, 23, 56 quod, nisi mulieri et decumano, patebat alii nemini. *A.* II, l. V, 51, 135 numum ob sepulturam datum nemini. *Philipp.* XI, 6, 13 Emptor tamen in ea auctione inuentus est nemo. *ad Fam.* II, 17, 3 Parithi transierint, necne, praeter te uideo dubitare neminem. VI, 10, 6 Tu uelim existimes, me concedere eorum nemini. VII, 25, 2 praeter duo nos loquitur isto modo nemo. *ad Att.* IV, 11, 2 Ego mecum praeter Dionysium educa neminem. Aliis locis multis.

CAPUT VI.

Restat, ut loquar de uocabulo *nonnemo*, *mancher*, quod a paucis usurpatum est scriptoribus. Praeter aliquot enim locos, qui sunt apud *Ciceronem*, bis nominatiuos *nonnemo* legitur apud *Scriptorem ad Herenn.* II, 20, 33 (*Nam cum nonnemo deuenit in amore uno aspectu et cum ille neminem dixerit omnino, nihil refert, raro id fieri, dummodo aliquando fieri aut posse fieri intelligatur*); IV, 33, 45 (*Poenus fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus; in Italia quoque idem nonnemo togatus sensit*); semel apud *Cornel. Nep.* XIV, 3, 3 (*Quem cum omnes prospicerent propter nouitatem ornatus ignotumque formam, fuit nonnemo, qui agnosceret Thyum regique nuntiaret*). — Apud *Ciceronem* attende duos tantum (cum ab uno loco discesseris, quo dictum est *neque — nemine*) reperiri casus, id est, *nominatiuom* et *accusatiuom*: *nominatiuom* his locis in *Uerr. A.* II, l. II, 5, 15 (*Nam quod fortasse nonnemo uestrum audierit, istum a Syracusanis publice laudari: uobis alio loco, ut se tota res habeat, demonstrabitur*); *p. Mur.* 39, 84 (*Hostis est enim non apud Anienem, set in urbe, in foro; nonnemo etiam in illo sacrario reipublicae, in ipsa, inquam, curia nonnemo hostis est*); *p. Sest.* 7, 16 (*Hanc taetram immanemque behuam soluit subito legum consul uel, ut ego arbitrator, exoratus, uel, ut nonnemo putabat, mihi iratus*); 20, 45 (*Unum enim mihi restabat illud, quod forsitan nonnemo uir fortis et acris animi magnique dixerit*); in *Pis.* 5, 10 (*quas leges ausus nonnemo improbus, potuit quidem nemo conuellere*); *p. L. Man.* 21, 62 (*Quo quidem tempore, cum esset nonnemo in senatu, qui diceret: „Non oportere mitti hominem priuatum pro consule“, L. Philippus dixisse dicitur: „Non se illum sua sententia pro consule, set pro consulibus mittere“*); *accusatiuom* his locis in *Uerr. A.* II, l. II, 16, 39 (*Non istum, ut nonneminem, prouincia corripit: idem fuit, qui Romae*); *p. Caec.* 28, 79 (*Conueni ego ex isto genere consultorum nonneminem; ut opinor, istum ipsum, quo uos auctore rem istam agere et defensionem causae constituere uos dicitis*). Casu factum est, ut non inueniatur apud *Ciceronem* locus, quo dictum sit *nonnemini*. At enim *Cicero*, quanquam simplici ablatiue *nemine* prorsus se abstinuit, tamen uno loco, ut modo significauimus, scripsit *neque — nemine*: in *Orat. in Tog. Cand. ext.* (pag. 526 ed. Orell.). Haec ibi leguntur: *Praetereo illum nefarium conatum tuum et pene acerbum et*

luctuosum populo Romano diem, cum Cn. Pisone socio, neque alio nemine, caedem optimatum facere uoluisti. Hoc est et alio nonnemine, et aliis compluribus. Intelligit autem Catilinam eiusque gregalis. — Animaduerte autem, ne suppleri quidem ex nonnullus eos casus, qui desiderantur in nonnemo, hoc est, non modo nullo loco pro substantiuo legi nonnullus, nonnulli, nonnullum, set ne hos quidem casus nonnullius, nonnullo. — Differt uero, utrum dicas nonnemo, an nonnulli. Nam nonnemo tum dixeris, ubi hominum qualitatem; nonnulli, ubi uolueris respicere quantitatem.

Iam uero pessimus est castigandus error hominum doctissimorum, qui quidem adhuc sint opinati, Romanos suo nonnemo usos esse non solum, ubi plures intelligerentur, set etiam, ubi unus aliquis. Errorem meo iure appellauit pessimum, cum ex nullo omnino loco iste usus perspiciatur. Nam unum illum locum apud Cic. in Cat. IV, 5, 10, quem consulto supra noui attuli quoque contendunt omnes nonnemo significare unum aliquem siue Q. Metellum siue Hortensium siue Crassum, recte uidetur intellexisse nemo. Haec uolgo loco laudato leguntur: *Uideo de istis, qui se popularis haberi uolunt, abesse nonneminem, ne de capite uidelicet ciuium Romanorum sententiam ferat. Is et nudiustertius in custodiam ciuis Romanos dedit et supplicationem mihi decreuit et indices hesterno die maximis praemiis affectit.* Quis credat, nullum intellexisse interpretem, ut singulari numero relatum erat *ferat* ad nonneminem, sic eodem numero singulari dici debuisse *dedit, decreuit, affectit*: quamquam intelligi Cicero uoluit *pluris*? Nihil uero certius, quam pro uulgata lectione *ferat. Is*, in qua plane desideratur concinnitas *Tulliana*, legendum esse *ferat, etsi*.

C A P U T VII.

Pronominis *nullus* quanquam et origo et usus in superioribus est illustratus, tamen complura restant, de quibus hoc loco explicandum est.

Ut apud Graecos *pluralis* numerus οὐδαμολ, οὐδέτερες, sic apud Romanos exstat, si non *nemines*, attamen *nulli* pro *nullis homines*: uelut apud Cic. in Caecil. 9, 28 (*unum illud credo omnis animaduvertere, te adhuc ab nullis, nisi ab Siculo, potuisse cognosci*); d. L. Agr. II, 10, 26 (*Ut i decemuiratum habeant, quos plebs designauerit. Oblitus est,*

nullos ab plebe designari); in *Cat.* IV, 8, 17 (*set nulli sunt inuenti tam aut fortuna miseri aut uoluntate perdit, qui non ipsum illum locum saluom esse uelint*); *p. Planc.* 22, 53 (*Quamobrem in dissentiente populo noli putare, nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet*); in *Uerr.* A. II, l. III, 24, 59 (*At nullis inimicior aut infestior fuit. Hanc quidem Hotomanni coniecturam uerissimam nullis pro barbaro nullus tandem confirmauerunt optimi Zumpti codices*); ad *Fam.* XIII, 79 in. (*Eius filios dignissimos illo patre meosque necessarios, quos ego unice diligo, commendo tibi sic, ut maiore studio nullos commendare possim*); ad *Att.* VII, 7, 5 (*ego, quos tu bonos esse dicas, non intelligo; ipse nullos noui*); aliis locis. — Nou raro etiam *nulli scriptores*, ut apud *Cic.* in *Uerr.* A. II, l. II, 13, 34 (*de conuentu ac negotiatoribus nulli iudices*); A. II, l. III, 68, 158 (*Cohortem autem Metelli, quam uocat, quid erat, quod corrumpere, ex qua in aratorem recuperatores nulli dabantur?*); *d. L. Agr.* II, 36, 100 (*Nulli populo Romano pro me uobis auctores generis mei commendarunt*). Uno quidem loco *nulli homines* in *Uerr.* A. II, l. II, 5, 15 (*Intelligetis enim, nullis hominibus quenquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, et esse et fuisse*). — Cf. *Q. Cic. d. Pet.* 7, 28 (*quem homines ignoti, nullis suffragantibus, honore afficiant*). Paulo post: *nullis amicis*. — Nou raro *Tacitus* ita scripsit, ut *Ann.* II, 77 ext. (*perisse Germanicum nulli iactantius maerent, quam qui maxime laetantur*); *Hist.* II, 20 m. (*modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo uidere*). Porro *Ann.* XV, 51 ext. (*Accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus innixum facile confutauit*); XVI, 31 m. (*nullos, inquit, impios Deos, nullas deuotiones, nec aliud infelicibus precibus inuocauit*); *Agric.* 32 m. (*nulli parentes fugam exprobraturi sunt*).

Caesar, Nepos, Salustius, Liuius nullo loco hunc pluralem cum substantiuus personalibus coniunxerunt.

Apparet autem, eos, qui hoc plurali numero tum sunt usi, id fecisse, propterea quod sic primitiuom inter pronomina *nemo* et *nullus* discrimen, quod in singulari ipsorum Romanorum culpa non potuerat seruari, potuit certe reuocari. Quare eo modo, quem saepe iam diximus, inter se differunt *nemo* et *nulli*, ut *nemo* significet *nemo*, *qualiscunque est*, *nulli* contra *nulli*, *quotquot sunt*.

Cum *ullus* sit deminutioum pronominis *unus*, apparet, quomodo *nullus* potuerit assumere notionem *nullius preti*, ut apud *Cic.* *Tusc.* V, 15, 45 (*da diuitias, honores, imperia,*

opes, gloriam; si fuerit is, qui haec habet, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo: dubitabisne eum miserum dicere); ad *Fam.* VII, 3, 2 (*Ex eo tempore uir ille summus nullus imperator fuit*); *Parad.* IV, 1, 28 (*Itaque pulsus ego ciuitate non sum, quae nulla erat; arcessitus in ciuitatem sum, cum esset in republica consul, qui tum nullus fuerat*); aliis locis. Sic apud *Liu.* IV, 3 *m. Seruium Tullium post hunc, captiua Corniculana natum, patre nullo, matre serua, ingenio, uirtute regnum tenuisse.*

Nonnuquam nullus coniungitur cum nomine proprio, ut nos quoque usurpamus nostrum *kein*: uelut apud *Cic.* ad *Att.* XI, 24, 4 (*Philotinus non modo nullus uenit, set ne per litteras quidem aut per nuntium certiozem facit me, quid egerit. Nos: Es kommt nicht nur kein Philotinus*); XIV, 3, 1 (*Corumbus Balbi nullus adhuc; set mihi notum nomen. Bellus enim esse dicitur architectus*). — Atque etiam nullus ita usurpatur, ut per attractionem quandam ad subiectum enuntiationis referatur grauiusque sonet, quam simplex non. Sic apud *Cic.* ad *Att.* XV, 22 *m.* (*Ego autem scripsi Sextum aduentare, non quo iam adesset, set quia certe id ageret ab armisque nullus discederet*); 29, 1 (*Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, set sicubi inciderit*). Set quod recentiores saepe scribunt nullus dubito, non ullo loco apud optimos inuenitur scriptores.

Restat, ut dicam de loco apud *Cic.* in *Uerr. A.* II, 1, II, 24, 60 *Debebat Epicrates numum nullum nemini*: quo quidem loco, interpretes opinati sunt fere omnes, *Ciceronem per duplicem negationem negasse grauius*. Homines doctissimos corruptelam librariorum, tanquam elegantiam *Ciceronis*, defendisse, aliquando ostendit antiquissimus codex Uaticanus. Omisit enim prauon istud *nullum*. Nemone tandem interpretum intellexit, si posset ferri apud *Ciceronem duplex negatio grauius negans*, saltem scribendum fuisse sic: *debebat Epicrates numum nemini nullum ac non nullum nemini*? Ne altero quidem loco ad *Q. Fratrem* III, 4, 1 probauerim uolgatam hanc: *Set uides, nullam esse rempublicam, nullum senatum, nulla iudicia, nullam in nullo nostrum dignitatem pro in ullo*: quanquam potest ferri *nullam in nullo*, si intelligas sic *nullam ne in ullo quidem nostrum*.

C A P U T VIII.

Nullusdum, memoratu est dignum, apud *nullum* alium scriptorem inueniri, nisi apud *Liuium* et quidem *quinque*

locis: III, 50 ext. (*Non defuit, quid responderetur; deerat, qui daret responsum, nullodum certo duce, nec satis audentibus singulis inuidiae se offerre*); V, 34 m. (*Alpes inde oppositae erant, quas inexcuperabilis wisas haut equidem miror, nulladum uia superatas*); VII, 33 ext. (*Aliquandiu iam pugnatum erat; atrox caedes circa signa Samnitium, fuga ab nulladum parte erat*); IX, 12 in. (*Adeoque, nullodum certamine inclinatis uiribus, post Caudinam pacem animi mutauerant, ut cluriorem inter Romanos deditio Postumium, quam Pontium incruenta uictoria inter Samnitis, faceret*); XXIX, 11 in. (*Nullas dum in Asia ciuitates socias habebat populus Romanus*). Omnibus igitur locis de tempore praeterito. — Ceteri scriptores pro *nullus dum*, id est, ubi praeteritum tempus respicitur, aut simpliciter dicunt *nullus* aut *nondum ullus*, etsi sic rarissime: uelut uno loco *Cic. Philipp. V, 16, 42 Nondum ullos duces habebamus, non copias*; uuo *Liu. XXIX, 11 in. memores, Aesculapium quoque ex Graecia quondam, hautdum ullo foedere sociata, arcessitum*. Sin respicitur tempus eius, qui loquitur, tempus igitur praesens, dicendum est *adhuc nullus, nullus adhuc*: ut apud *Cic. d. Orat. III, 24, 95 (hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt)*; *p. L. Man. 3, 7 (non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscipit, set regnat)*; *p. Cael. 26, 63 (Nulli enim sunt adhuc nominati)*; *p. Lig. 2, 6 (Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te uoluntatis; ad Fam. VII, 17, 1 (nec tibi in mentem ueniebat, eos ipsos numum adhuc nullum auferre potuisse)*; aliis locis. — Prorsus autem barbarum est, uti *nullus dum, nullum dum* pro *substantiuo*: propterea quod hi casus *nullus* et *nullum* nunquam pro *substantiuo nemo, neminem* usurpati sunt.

Quauquam *nullus dum* apud solum *Liuium* inuenitur, tamen *nihil dum* non raro, undecim locis, apud ipsum *Ciceronem* legitur: *d. Orat. II, 50, 203 (Ecce autem serpere occulte coepisti, nihil dum aliis suspicantibus, me uero iam pertimescente)*; *in Uerr. A. II, l. IV, 5, 9 (Uidete maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur)*; *in Cat. III, 3, 6 (Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me, nihil dum suspicantem, uocaui)*; *ad Fam. X, 12, 2 (Interim ad me uenit Munatius noster, ut consueerat; at ego ei litteras tuas: nihil dum enim sciebat)*; *XI, 8, 1 (Omnia enim erant suspensa propter expectationem legatorum: qui quid egissent, nihil dum nuntiabatur)*; *XII, 7, 2 (quanquam nihil dum audieramus nec*

ubi esses nec quas copias haberes); ad Att. IX, 2 ext. (*Brun-
disio nihil dum erat allatum*); 10, 10 (*Hic nihil dum de re-
ditu Caesaris audiebatur*); XIII, 50, 3 (*Miror te nihil dum cum
Tigellio, uelut hoc ipsum, quantum acceperit*); XV, 4, 5
(*Nihil dum enim a Balbo*). Locis omnibus de tempore prae-
terito. Inepte autem ad Att. VII, 12, 4 editur sic: *Me cum
multa, tum etiam lictores impediunt: nihil uidi unquam, quod
minus explicari posset. Itaque a te nihil dum certi exquiro,
set quid uideatur. Denique ipsam ἀποκταῖν tuam cupio co-
gnoscere*. Certissima emendatione scribendum: *Itaque a te,
nihil dum certi, exquiro, quid uideatur*. Accedit, quod Ci-
cero nullo loco dixit *nihil dum*, si respicitur tempus prae-
sens. — Praeterea apud *Liuium* tribus locis inueni *nihil-
dum*: XXIV, 20 ext. (*quanquam simulata lenitas nihil dum
profuerat*); 49 in. (*Legati docent, opprimi Syphacem, nihil-
dum praeter nomen ex foedere Romano habentem, posse*);
XXXV, 20 in. (*Romae destinabant quidem sermonibus hostem
Antiochum, set nihil dum ad id bellum praeter animos para-
bant*). De tempore praeterito his quoque locis. Apud ceteros
autem scriptores frustra quaesieris hoc uocabulum. — Sin
respicitur tempus ipsius, qui loquitur, dicitur *adhuc nihil,
nihil adhuc*: ut apud *Cic. d. Rep.* I, 13, 20 (*Nihil est
adhuc disputatum*); in *Cat.* II, 7, 16 (*Nunc uero, cum ei
nihil adhuc praeter ipsius uoluntatem cogitationemque accide-
derit, optemus potius, ut eat in exsilium, quam queramus*);
ad *Fam.* II, 12, 1 (*Illud moleste fero, nihil me adhuc his
de rebus habere tuarum litterarum*); IX, 7, 2 (*Set quod quaeris,
quando, qua, quo, nihil adhuc scimus*); 17, 3 (*Illud
tamen ascribam: quod est uerissimum, me his temporibus ad-
huc de isto periculo nihil audisse*); XI, 25, 2 (*De Bruto
autem nihil adhuc certi*); XV, 18 ext. (*De Hispania nihil
adhuc certi, nihil omnino noui*). Aliis locis. — Cum ellip-
sis, quae est statuenda post adiectam illam coniunctionem *dum*,
potuerit esse et haec *dum erant illa tempora* et haec
dum sunt haec tempora, apparet, nihil prohibuisse, quin
diceretur *nihil dum* (idem ualet de *Liuiano* illo *nullus-
dum*) tum etiam, si respiciendum erat tempus praesens. Proprie
igitur potuit dici utranque et uerbi causa *nihil dum
maiores suspicabantur et nihil dum suspicor*. At
distiuxisse uidentur Romani sic, ut dicerent *nihil dum*, ubi
praeteritum respiciebatur tempus; *adhuc nihil, nihil ad-
huc*, ubi praesens. Proprie quidem inter se differunt ipsae
notiones dictionum *nihil dum* et *adhuc nihil*, siquidem
nihil dum propter ellipsin illam debet significare uel *nihil*

hoc tempore uel *nihil illo tempore*; *adhuc nihil* autem *usque ad hoc tempus nihil*: uerumtamen hoc discrimen cum sit leuissimum, potuerunt Romani, si cupiebant, illo, quem diximus, modo distinguere. Cum uero sic scriptores non distinxerint inter *nondum* et *adhuc non* (nam etsi *adhuc non*, *non adhuc* non usurpauerunt, nisi de tempore *praesenti*, tamen *nondum* apud scriptores omnis non solum refertur ad *praeteritum* tempus, uerum etiam ad *praesens*), cumque *nihildum*, *nullusdum* aurea demum, ut uidetur, aetate dici coeptum sit: mihi persuasum est, iuniores Romanos, cum sensissent, se in *praesenti* tantum tempore dicere posse *adhuc nihil*, *adhuc nullus*, ad similitudinem uocabuli *nondum* creauisse *nihildum*, *nullusdum* eam inodo ob causam, ut haberent uocabula, quibus possent uti in re *praeterita*. Quoniam autem in *praesenti* tempore iam antea dici solitam erat *adhuc nihil*, *adhuc nullus*, non usurpauerunt recentius istud *nihildum*, *nullusdum*, nisi ut supplerent notionem illam *noch* in tempore *praeterito*, quam tum maiores neglexerant tanquam superuacaneam. At eosdem scriptores, qui quidem in tempore *praeterito* desiderauerint *nihildum*, *nullusdum*, nescio quomodo tum non desiderasse *nemodum*, supra iam docuimus. Non magis tum desiderauerunt *nusquamdum*, *nunquamdum*: at *semel* in *praesenti* tempore Cicero dixit *adhuc nunquam* in Uerr. A. II, l. V, 4, 9 *Ac uidete, quam non inimico animo sim acturus: ego ipse haec, quae iste quaerit, quae adhuc nunquam audistis, commemorabo et proferam.*

C A P U T IX.

Nonnullus, *nicht gering*, numero *singulari* nec inuenitur apud *Salustium* nec apud *Liuium* nec apud *Tacitum*; at saepenumero apud *Ciceronem*: ut *d. Inuent.* II, 1, 1 (*tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam remansit*); 3, 8 (*nonnullam rhetoricae quoque artis sibi curam assumebat*): *d. Orat.* II, 54, 217 (*nonnullam in spem ueneram, posse me aliquid ex istis discere*); 70, 283 (*cum Scaurus nonnullam haberet inuidiam ex eo, quod Pompeii bona sine testamento possederat*); *Brut.* 16, 63 (Uolgo editur sic: *Catonis autem orationes non minus multae fere sunt, quam Attici Lysiae, cuius arbitror plurimas esse. Est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus et mortuus et functus omni ciuium munere: quanquam*

Timacus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. Et quodam modo est nonnulla in is etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breues; set ille Græcus ab omni laude felicior. At inepte, siquidem quodam modo nullo modo conuenit cum nonnulla similitudine, id est, eine nicht geringe Aehnlichkeit. Restituo locum sic: repetit Syracusas quodammodo. Et est nonnulla in is etiam inter ipsos similitudo. Hoc est: er fordert ihn gewissermassen nach Syrakus zurück. Solet autem Tullius talibus locis uerbis repetendi, uindicandi adiciere particulas quodammodo, prope: de qua re cf. ad orat. p. Arch. pag. 23); 66; 234 (Curio copia nonnulla uerborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum); in Caec. 1, 2 (factum est, uti cum summum in ueteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur); 14, 44 (Ita contra me ille dicet, quamuis sit ingeniosus, ut nonnullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur); in Uerr. A. II, l. I, 51, 134 (Iste Rabonium quiescere iubet: et simul ei nonnullam spem societatis ostendit); A. II, l. II, 65, 158 (propterea quod apud omnis Græcos hic mos est, ut honorem, hominibus habitum in monumentis huiusmodi, nonnulla religione deorum consecrari arbitrentur); p. Mur. 18, 37 (expectatio muneris, quae et rure nonnullo et studiis sermonibusque competitorum creuerat); p. Sest. 3, 8 (Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione). Pluribus locis, set attende, omnibus locis agnoscitur notionem nicht gering. — Sic apud Caes. B. G. VII, 37 m. (esse nonnullo se Caesaris beneficio affectum, sic tamen, ut iustissimam apud eum causam obtinuerit); B. G. I, 13 m. (commissio proelio deseritur a suis Uarus; nonnulla pars militum domum discedit); 46 m. (Summatibus sub murum cohortibus ac nonnulla parte propter terrorem in oppidum compulsis facilis est nostris receptus datus); 78 in. (frumenti copiam legionariis nonnullam habebant, quod dierum XXII ab Iberda frumentum iussi erant eferre). — Sic apud Cornel. Nep. XVII, 8, 1 (Nam et statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede: quae res etiam nonnullam afferebat deformitatem).

Pernolatum illum numerum pluralem nonnulli nemo iam mirabitur semper significare nicht wenige; nonnihil autem nicht wenig, nicht wenig; nonnunquam denique nicht selten.

CAPUT X.

Relictum est, ut dicam de pronomiibus *quisquam* et *ullus*. Videbis autem, sibi respondere in plerisque *quisquam* et *nemo*, *ullus* et *nullus*. Ac primum quidem illustrabo usum pronominiis *quisquam*, ubi est *substantiuom*.

Etsi pronomem *nemo* ab iunioribus Romanis est habitum pro *defectiuo*, tamen *quisquam* casus habet omnis: nisi quod ad similitudinem *suppletorum* ex *nullus* casuum pronominiis *nemo* quidam casus saepius desumuntur ex *ullus*, quam ex ipso *quisquam*. Uel pro *ablatiuo* pronominiis *substantiuu* *quisquam* rarius multo reperitur *quoquam*, quam *ullo*: sicut pro *nemine* omnes dicere soliti erant *nullo*.

Apud *Ciceronem* quidem *quinque* tantam inueni locos, quibus legitur *ablatiuos* ille *quoquam*: *Part. Orat.* 38, 134 (non esse ferendum, a quoquam potius latoris sensum, quam a lege, explicari); in *Uerr.* A. II, l. II, 56, 149 (*Quis enim unquam tanta a quoquam contumelia affectus est?*); A. II, l. V, 69, 178 (*si quid erit commissum a quoquam uestrum, quod reprehendatur*); *p. Cluent.* 17, 48 (*Quod ingenium, quae facultas dicendi, quae a quoquam excogitata defensio huic uni crimini potuit obsistere?*); *d. L. Agr.* III, 4, 15 (*Resistam atque repugnabo, neque patiar, a quoquam populum Romanum de suis possessionibus, me consule, demoueri*). Nam illo loco *ad Att.* IX, 15, 5 (*Te medius fidius hanc rem grauius putauit laturum esse, quam me. Nam praeterquam quod te moueri arbitror oportere iniuria, quae mihi a quoquam facta sit, praeterea te ipsum quodammodo hic uiolauit, cum in me tam improbus fuit*) barbarum est, quod omnes adhuc ediderunt, *quoquam*. Scribe *quoque*, id est, *von irgend einem, von wem es auch sei*. Cf. cap. 1 m.. Simillimus est locus *d. Off.* I, 41, 147 *Nec uero alienum est, ad ea, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines uel etiam usu peritos et, quid eis de quoque officii genere placeat, exquirere. Id est über irgend eine Art der Pflicht, welche es auch sein mag, de aliquo officii genere, quod dubitationem attulerit.* — Pro *quoquam* multo saepius dixit *ullo*: uelut *d. Amic.* 15, 52 (*ut neque diligit quenquam nec ipse ab ullo diligitur*); *d. Fin.* IV, 9, 22 (*si neque uirtus in ullo, nisi in sapiente, nec felicitas uero dici potest*). Sic *d. Rep.* VI, 23, 25; *Brut.* 67, 238; *p. Planc.* 3, 6; *Philipp.* II, 15, 38; *ad Fam.* IV, 13, 4; VI, 12, 2, pluribus locis. Quodsi quid

interest inter *quoquam* et *ullo*, ut est, hanc scio an ita sit dicendum, *quoquam* significare *quoquam*, *qualiscunque est*; *ullo* contra *ullo*, *quotquot sunt*. Hanc autem ob causam et propter additum illud *quam*, id est, *quamuis affirmetur*, maiore ecfertur ui *quoquam*, quam *ullo*. Et sane illis *quinque* locis orationem esse commotam, facile apparet.

Apud *Caesarem* et *Salustium* neque inueni *quoquam* neque *ullo*. Apud *Nepotem* autem tribus locis legitur *quoquam*: XVIII, 11, 5 (*Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit*); XXV, 8, 4 (*respondit, se neque cum quoquam de ea re collocuturum neque coitutum*); 10, 5 (*Neque enim suae solum a quoquam auxilium petitit salutis, set coniunctim: ut appareret, nullam seiunctam sibi ab eo uelle fortunam*). At nullo loco *ullo* pro *quoquam*.

Liui in libris duobus tantum locis inueni *quoquam*: III, 57 m. (*Ut hanc quoquam improbante, sic magno motu animorum in carcerem est coniectus*); XXXIV, 35 ext. (*Ne quam societatem cum ullo Cretensium aut quoquam alio institueret, neu bellum gereret*). Locus memorabilis, ex quo quidem plauis apparet, *Liuium* etiam distinxisse sic, ut *ullo* significaret *ullo*, *quotquot sunt*; *quoquam* contra *quoquam*, *qualiscunque est*. Multo saepius autem dixit *ullo*, ut II, 61 in. (*Patres quoque non timore pro ullo aequae annisi sunt*); V, 40 in. (*Magna pars tamen earum in arcem suos prosecutae sunt, nec prohibente ullo nec uocante*); VIII, 26 ext. (*Duo singularia haec ei uiro primum contingere: prorogatio imperi non ante in ullo facta et acto honore triumphus*); IX, 2 ext. (*nec hortante ullo nec impetrante*); 16 ext. (*nec cum ullo asperiore fuisse militiam pediti pariter equitique*); 34 in. (*tertio anno, nec ab se nec ab ullo creatus, priuatus fascis et imperium obtinuit*). Sic XXI, 8 ext.; 62 in.; XXIV, 31 m.; XXIX, 17 ext.; 31 in.; XXXI, 11 m.; 23 in.; XXXII, 22 ext..

Apud *Tacitum* semel legitur *quoquam*, semel *ullo*: *quoquam* Ann. XI, 7 m. *multos militum, quosdam exercendo agros tolerare uitam: nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante praeviderit*. Id est *quoquam*, *qualiscunque est*. *Ullo* Hist. IV, 36 ext. *nec ullo legatorum tribunorumue obsistere auso protractum e cubili interficiunt*. Id est *ullo*, *quotquot erant*.

Quod attinet ad ceteros casus, primum nominatiuos *quisquam* apud omnis scriptores saepissime inuenitur: uelut

apud *Cic. d. Nat. D.* III, 4, 11 (*Quasi uero quisquam nostrum istum potius, quam Capitolinum Iouem appellet*); 36, 88 (*Neque Herculi quisquam docuimus nouit unquam*); ceteris locis. — Apud *Caes. B. G.* I, 40 in. (*Cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret?*); III, 22 ext. (*neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui mortem recusaret*); ceteris locis. — Apud *Cornel. Nep.* II, 2, 4 (*cum tantis copiis, quantas neque antea neque postea habuit quisquam*); VII, 3, 5 (*neque ei par quisquam in ciuitate poneretur*); ceteris locis. — Apud *Salust. B. G.* 36 ext. (*neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat*); 53 ext. (*multis tempestatibus haec sane quisquam Romae uirtute magnus fuit*); ceteris locis. — Apud *Liu.* II, 9 ext. (*nec quisquam unus malis artibus postea tam popularis esset*); VI, 37 in. (*nec esse, quod quisquam satis putet*); ceteris locis. At barbarum est *quisquam* I, 18 in. *Curibus Sabinis habitabat, consultissimus uir, ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis diuini atque humani iuris.* Apparet, *quisquam* deberi glossari, qui non perspexerat, in uerbis ut in illa aetate esse poterat ipsum intelligi *Numam Pompilius*. Cf. *Cic. p. Arch.* 7, 16 ex hoc fortissimum uirum et illis temporibus doctissimum, *Catonem*. — Apud *Tac. Ann.* IV, 44 m. (*Albim transcendit longius penetrata Germania, quam quisquam priorum*); 16 ext. (*neque enim quisquam tali culpa uacius*); ceteris locis. — At enim, ut pro substantiuo nemo nunquam nullus, sic pro substantiuo *quisquam* nunquam dictum est ullus.

Iam dicendum est de genitiuo *cuiusquam*. Apud *Ciceronem* legitur saepissime: ut *d. Orat.* II, 23, 98 (*qui neminem imitentur et suapte natura, quod uelint, sine cuiusquam similitudine consequantur*); III, 7, 28 (*Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis?*); *Brut.* 38, 143 (*neminem esse, qui, horum alterutro patrono, cuiusquam ingenium requireret*); *p. Quint.* 1, 5 (*nihil, quod humilitatem cuiusquam grauitas et uirtus iudicis consoletur*); 26, 83 (*De cuiusquam uita dicere audes?*); *p. Rosc. Com.* 14, 41 (*neque Panurgi nomine neque cuiusquam*); in *Caec.* 4, 16 (*set ne in opinione quidem cuiusquam relinquo*). Sic in *Uerr. A.* II, l. II, 69, 165; 78, 192; *A.* II, l. III, 4, 7; 50, 118; 83, 192; 84, 194; 95, 221; *A.* II, l. IV, 1, 2; *A.* II, l. V, 13, 34; 61, 159; *p. Caec.* 14, 41; multo pluribus locis. — Ad similitudinem autem genitiui *nullius*, ut omnes dixerunt pro *neminis*, interdum pro *cuiusquam*

dixit ullius, ut *d. Nat. D.* III, 2, 5 (nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti aut indocti mouebit); *d. Fin.* I, 19, 63 (nunquam ullius oratione uicti sententia desistemus); *p. Mur.* 33, 69 (hoc dico, non modo dignitati ullius unquam, set ne uoluntati quidem defuisse); *p. Planc.* 26, 64 (set tamen non uereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut clariorem aut gratiorem fuisse); *Philipp.* XI, 1, 1 (neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est); XIII, 7, 16 (non potest ullius auctoritate tantus senatus populique Romani ardor extinguui); *ad Att.* I, 1⁵, 1 (Non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quam ullius nostrum litterae nuntiarint). Admodum prauoim est autem uolgatam istud ullius *p. Sest.* 2, 4 Neque enim officio coniunctior dolor ullius esse potest, quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti periculo: propterea quod oppositio hominis hoc loco est nulla. Nihil certius lectione *ullus*: quam nonnulli codices praebent, optima etiam editio anni 1480.

Apud *Caesarem* uno loco inueni cuiusquam: *B. G.* VII, 75 ext. (quod se suo nomine atque arbitrio cum Romanis bellum gesturos dicerent, neque cuiusquam imperio obtemperaturos); nullo tamen ullius.

Ita plane apud *Nepotem* semel reperitur cuiusquam: XXI, 2, 3 (Neque in tam multis annis cuiusquam ex sua stirpe funus uidit); nullo loco ullius.

Apud *Salustium* tribus locis inueni cuiusquam: *B. I.* 14 m. (tamen erat maiestatis Romani populi, prohibere iniuriam, neque pati, cuiusquam regnum per scelus crescere); 18 in. (Hi neque moribus neque lege neque imperio cuiusquam regebantur); 96 in. (neque interim, quod prauis ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni famam laedere); nullo loco ullius.

Apud *Liuium* et cuiusquam et ullius inuenitur: cuiusquam his decem locis IV, 11 ext. (quod nihil gratiae cuiusquam dederant); V, 46 in. (nihil ad uocem cuiusquam terroremue motus); X, 19 ext. (suoque impetu magis milites, quam cuiusquam ductu aut imperio, pugnam capessabant); XXX, 12 m. (neque me in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium uenire sinas); XXXI, 9 in. (neque exercitum defendendi aut oppugnandi cuiusquam causa regem in Graeciam missurum esse); XXXV, 36 in. (frequentes inde retenti in armis Aetoli sine iniuria cuiusquam); 38 ext. (So uero, negare Chalcidenses, aut seruire ulli aut praesidio

cuiusquam egere. Locus memorabilis. Ulli intellige sic ulli, quotquot sunt. Significant enim Chalcidenses, se nec Romanis nec ulli servire. Recte autem praesidio cuiusquam, id est, cuiusquam, qualiscumque est: propterea quod inuunt, Thoantis se praesidio non egere); XXXIX, 54 ext. (redditis omnibus, quae sine cuiusquam iniuria habebant); XLII, 65 ext. (nec cuiusquam ad deditionem flectebatur animus); XLV, 22 in. (nec cuiusquam fortunae inuidemus). Multo saepius ullius, ut VI, 15 ext. (iam nihilo meo turbu, quam ullius, conspectior erit); IX, 2 ext. (Sistunt inde gradum sine ullius imperio); 31 m. (iam sine praecepto ullius sua sponte struebatur acies); 34 in. (sine ullius assensu); XXI, 5 ext. (sine ullius imperio); 13 m. (Vestra autem causa me, nec ullius alterius, loqui); XXII, 60 in. (sine ullius in societatione eorum breui sententiam peregissem); XXIV, 47 m. (Arpi sine clade ullius restituti ad Romanos; XXXII, 7 in. (senatum sine ullius nota legerunt); XXXIX, 54 in. (ibi sine ullius iniuria concessisse). Sic XL, 40 m.; XLI, 23 ext.; XLV, 15 m..

Tacitus denique saepe usurpauit cuiusquam, ut Ann. II, 48 in. (neque hereditatem cuiusquam adit, nisi cum amicitia meruisset); IV, 33 ext. (neque refert cuiusquam, Punicas Romanas acies laetius extuleris); 72 m. (non intenta cuiusquam cura); V, 6 ext. (non clementiam cuiusquam experiar); XI, 32 ext. (nulla cuiusquam misericordia). Sic XIII, 12 ext.; 43 m.; XIV, 61 m.; Hist. II, 29 ext.; 62 in.; III, 19 ext.; pluribus locis. — Uno tantum loco dixit ullius: Ann. XV, 34 in. (nam egresso, qui affuerat, populo vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est); set rectissimo iudicio: necesse erat enim significare ullius, quotquot fuerant.

Datius cuiquam saepissime usus est Cicero, velut d. Nat. D. I, 18, 46 (quae enim alia forma occurrit unquam aut uigilanti cuiquam aut dormienti?); 30, 85 (nec habet nec exhibet cuiquam negotium); 44, 123 (nihil cuiquam tribuonem); II, 44, 115 (cuiquam sano uideri potest?); 65, 163 (nec alii cuiquam a dis immortalibus data); d. Diu. II, 12, 28 (Persuaderi igitur cuiquam potest, cognita esse obseruatione diuturna); 55, 113 (nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt); d. Off. I, 10, 29 (nec facere cuiquam uideoantur iniuriam); III, 19, 75 (nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet); 21, 83 (cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae?). Sic Acad. I, 10, 38; d. Fin. II, 5, 16; multo

pluribus locis. — At ut pro *substantiuo nemini* nunquam dixerat *nulli*, sic, ubi pro *substantiuo cuiquam* dixerit *ulli*, locum inueni nullum. Nam quod uolgo ad *Att.* IX, 14, 2 edunt: *Haec Baebius quidam, a Curione III. Id. profectus, homo non infans, set quis, ulli non dicat, est corruptum.* Sine dubio legendum sic: *homo non infans, set quis, tibi non dicat.* Id est, *ein nicht unberodter Mann, aber dennoch möchte er dir schwerlich sagen können, wer er ist.* Nam plauē ignotus erat homo, id quod concluderis ex uerbis illis *Baebius quidam.* Pessima igitur etiam hanc ob causam est coniectura Boni ad *Att.* XIII, 1, 1 *Ad Ciceronem ita scripsisti, ulli ut neque seuerius neque temperatius scribi potuerit:* quam non debebat recipere Graeuus. Cum optimi codices Decurtatus et Tornaesianus pro uulgata *scripsisti*, ut *neque* hanc corruptam praebent lectionem *scripsisti ullius neque*, apparet, legendum esse sic *scripsisti, illi ut.* Rectissime autem ab initio *ad Ciceronem;* post *illi*, pro quo *ad illum* fuisset prauom. Etenim differunt inter se dictiones *scribere ad aliquem* et *scribere alicui* hoc pacto, ut illa quidem significet, *inscriptam esse ad aliquem epistolam;* haec contra, *aliquid scriptum esse in gratiam alicuius.* — *Plancus* quidem in epistola apud *Cic.* ad *Fam.* X, 8, 1 pro *cuiquam* scripsit *ulli:* *huic prius excusandum me esse arbitror, quam de insequenti officio quicquam ulli pollicendum.* Similiter *Pollio* ibidem 31, 5, ut uidimus supra cap. 3, pro *nemini* dixerat *nulli.*

Apud *Caesarem* semel inueni *cuiquam* *B. G.* VII, 20 ext. (*simili omnem exercitum inopia premi nec iam uiris sufficere cuiquam nec ferre operis laborem posse*); semel *ulli* *B. G.* I, 8 ext. (*negat, se more et exemplo Populi Romani posse iter ulli per prouinciam dare*). Quo loco *cuiquam* satis fuisset prauom: dicit enim *ulli, quotquot sunt.* Atque ex talibus quidem locis plauē potest perspici, a scriptoribus, ubi dicunt *ullius, ulli, ullo*, respici *plures*, non item, ubi dicant *cuiusquam, cuiquam, quoquam.*

Apud *Cornelium Nepotem* uno loco legi *ulli* XX, 1, 1 (*Nanque huic uni contigit, quod nescio an nulli, ut patriam oppressam a tyranno liberaret*); nullo autem *cuiquam.* Nam barbarum est *cuiquam*, quod uolgo editur XXV, 19, 3 *Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit, et conciliarit, quod nemo adhuc ciuis Romanus quisiit consequi.* Me auctore scribe *quod cuique.* Cf. initium huius capituli, ubi dixi de barbaro isto *quoquam* apud *Cic.* ad *Att.* IX,

15, 5. Uix est credibile, quam mira librarii commiserint propter non perspectam notionem pronomini *quisque*.

Salustius non raro scripsit *cuiquam*, ut *B. C. 5 in.* (*Corpus patiens inediae, uigiliae, algoris, supra quam cuiquam credibile est. Praua est autem lectio cuique, quam quidem praetulerunt editores: quasi uero non iussit in illis uerbis sententia haec sicut non ferme cuiquam credibile est*); 14 ext. (*set ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam compertum foret, haec fama ualebat*); 33 in. (*neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lego uti*); 51 m. (*neque cuiquam mortalium iniuriae suae paruae uidentur*); *B. I. 1 m.* (*artis bonus neque dare neque eripere cuiquam potest*); 102 m. (*neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit*). At nullo loco ulli pro *cuiquam*.

Apud *Linium* saepissime inuenitur *cuiquam*, ut II, 3 in. (*Cum haut cuiquam in dubio esset*); III, 59 in. (*Itaque hoc anno nec diem dici cuiquam nec in uincla duci quenquam sum passus*); IV, 15 m. (*nulla merita cuiquam ad dominationem pandere ulam*); V, 6 ext. (*nec cuiquam dicere ea liceret*); VI, 19 m. (*Cum praeter uim et caedem nihil cuiquam occurreret*); 25 in. (*Nec tamen aut ipsi aut in exercitu cuiquam satis placato animo Camillus laturus culpam eius uidebatur*); VIII, 3 ext. (*Haut cuiquam dubium erat*); 23 ext. (*neque ab consule cuiquam de ea re scriptum esse*); IX, 14 ext. (*ut doceretur miles, minime cuiquam militum consules odio in hostis cecidisse*); 23 m. (*nullam alibi, quam in semet ipso, cuiquam relictam opem*); 38 ext. (*nec dubium cuiquam erat*). Sic XXII, 28 ext.; 35 m.; XXIII, 35 in.; XXXI, 31 in.; ceteris locis. Barbarum est autem *cuiquam* III, 55 m., ubi uolgo sic editur: *Hac lege iuris interpretes negant quenquam sacrosanctum esse; set eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri*. Hoc quoque loco corruptum est *cuiquam* ex *cuique*. — Nec raro *Linus* dixit *ulli*, ut I, 56 m. (*neque responsa sortium ulli alii committere ausus duos filios in Graeciam misit*); III, 14 ext. (*nunquam ulli truces esse, nisi cum de lege agi coeptum esset*); IV, 11 ext. (*nec ulli Romano globa assignaretur*); XXVI, 27 in. (*Nec ulli dubium erat, humana id fraude factum esse*); 46 ext. (*nec ulli puberum parcebatur*); XXXI, 34 ext. (*et negasse, barbarorum ea castra ulli uideri posse*). Sic XXXV, 38 m.; XLII, 33 ext.; pluribus locis.

Tacitus etsi abstinnit datiuo *nemini* pro eoque scribere solitus est *nulli*, tamen nullo loco inueni apud huic scriptorem *ulli*, set semper *cuiquam*, ut *Ann. II, 37 ext.*

(*nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent*); III, 8 *ext.* (*set malle falsa et inania nec cuiquam mortem Germanici exitiosam*); XI, 10 *m.* (*nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta regreditur*); 36 *in.* (*nec cuiquam ante pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur*); XIV, 15 *in.* (*non nobilitas cuiquam impedimento*); 20 *in.* (*nulla cuiquam civium necessitate certandi*); *Hist.* I, 56 *m.* (*Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti*); III, 86 *m.* (*Studia exercitus raro cuiquam, bonis artibus quaesita, perinde affuere, quam huic per ignaviam. Rectissime; nam raro cuiquam est profecto non saepe cuiquam*); *d. Germ.* 13 *in.* (*Set arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probauerit*); *Dial.* 29 *in.* (*nec cuiquam serio ministerio accommodatus*).

Accusatiuos quengquam saepissime inuenitur primum apud Ciceronem, ut *d. Nat. D.* I, 14, 36 (*neque quengquam, qui ita appellatur, in deorum habet numero*); 31, 86 (*nec quengquam uidi, qui magis ea timeret*); II, 37, 93 (*Hic ego non mirer, esse quengquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque indiuidua ui et grauitate ferri mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Rectissime miror, esse quengquam: inest enim sententia haec uix est credibile, esse quengquam*); III, 19, 50 (*Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, quam quengquam nobilium deorum*); *d. Diu.* II, 47, 99 (*ut mihi permirum uideatur, quengquam existare, qui etiam nunc credat is, quorum praedicta quotidie uideat re et euentis refelli. Rectissime*); 63, 129 (*Stoici autem tui negant, quengquam, nisi sapientem, diuinum esse posse*); 67, 139 (*nec cognoui quengquam, qui maiore auctoritate nihil diceret*); *d. Senect.* 7, 21 (*Nec uero quengquam senum audiui oblitum, quo loco thesaurum obruidisset*); *d. Amic.* 11, 39 (*Igitur ne suspicari quidem possumus, quengquam horum ab amico quidpiam contendisse*); *d. Off.* I, 25, 86 (*Nec uero criminibus falsis in odium aut inuidiam quengquam uocabit*); aliis compluribus locis. — Set quanquam pro substantiuo neminem apud nullum omnino ullo loco scriptorem inuenitur nullum, tamen uno loco apud Ciceronem pro substantiuo usurpatum est ullum. Locus est *p. Sest.* 49, 105 *Num uos existimatis, Gracchos aut Saturninum aut quengquam illorum ueterum, qui populares habebantur, ullum unquam in concione habuisse conductum? Id est ullum, quotquot erant ac saepe peruersum fuisset quengquam, id est quengquam, qualiscunq; erat. Ad deuitandum*

vero istum accusatiom *ullum* potuit Tullius dicere *illos*: quanquam vis maior inest in numero *singulari*. Ne quis autem coniciat *populum* pro *ullum*.

Iam vero *Caesar*, *Nepos*, *Salustius*, *Liuius*, *Tacitus* saepe numero quidem usurpauerunt accusatiom *quenquam*, uelut *Caes. B. G.* I, 20 in. (*nec quenquam ex eo plus, quam se, doloris capere*); VI, 23 in. (*neque quenquam prope audere consistere*); *Nep.* II, 8, 7 (*neque quenquam ex ea exire passus est*); VIII, 4, 3 (*neque quenquam honore se antecessisse existimauit*); XVIII, 12, 3 (*uetuit, ad eum quenquam admitti*); XXV, 11, 5 (*neque laedebat quenquam*); *Salust. B. I.* 17 m. (*nam morbus haur saepe quenquam superat*); 94 ext. (*neque quenquam omnium praeda morari*); 107 in. (*nec quenquam decere*); *Liui.* III, 55 m. (*negant, quenquam sacrosanctum esse*); 59 in. (*nec in uincla duci quenquam sum passurus*); IV, 4 m. (*Nemo inuitum pactionem nuptialem quenquam facere coegisset*); *Tac. Ann.* III, 36 m. (*neque quenquam in capitolium perfugere*); VI, 8 m. (*nec quenquam exemplo assumo*); XIV, 21 in. (*nec quenquam Romae degenerauisse*); ceteris locis: uerumtamen nemo horum scriptorum ullo loco pro *substantiuo* usus est accusatiom *ullum*. — Glossema autem esse contendit *quenquam* apud *Cornel. Nep.* XVII, 6, 2 *Nam cum quidam adolescentuli, hostium aduentu perterriti, ad Thebanos transfugere uellent et locum extra urbem editum cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimum fore uideret, si animaduersum esset, quenquam ad hostis transfugere conari, cum suis eo uenit atque, ut si bono animo fecissent, laudauit consilium eorum, quod eum locum occupassent. Me auctore dele peruersum istud quenquam, ut intelligatur eos, id est, adolescentulos.*

T a b u l a III

pronominis substantivi *quisquam* cum casibus
suppletis ex pronomine *ullus*.

	<i>Cicero</i>	<i>Caesar</i>	<i>Nepos</i>	<i>Salsusius</i>	<i>Linus</i>	<i>Tacitus</i>
Nom.	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)	<i>quisquam</i> (nunquam <i>ullus</i>)
Gen.	<i>cuiusquam</i> <i>ullius</i>	(semel <i>cuius-</i> <i>quam</i> , nun- <i>quam ullius</i>)	(semel <i>cuius-</i> <i>quam</i> , nun- <i>quam ullius</i>)	<i>cuiusquam</i> (nunquam <i>ullius</i>)	<i>ullius</i> <i>cuiusquam</i>	<i>cuiusquam</i> (semel <i>ullius</i>)
Dat.	<i>cuiquam</i> (nunquam <i>ullis</i>)	(semel <i>cui-</i> <i>quam</i> , semel <i>ullis</i>)	(semel <i>ullis</i> , nunquam <i>cuiquam</i>)	<i>cuiquam</i> (nunquam <i>ullis</i>)	<i>cuiquam</i> <i>ullis</i>	<i>cuiquam</i> (nunquam <i>ullis</i>)
Acc.	<i>quemquam</i> (semel <i>ullum</i>)	<i>quemquam</i> (nunquam <i>ullum</i>)	<i>quemquam</i> (nunquam <i>ullum</i>)	<i>quemquam</i> (nunquam <i>ullum</i>)	<i>quemquam</i> (nunquam <i>ullum</i>)	<i>quemquam</i> (nunquam <i>ullum</i>)
Abl.	<i>ullo</i> <i>quoquam</i>		<i>quoquam</i> (nunquam <i>ullo</i>)		<i>ullo</i> <i>quoquam</i>	(semel <i>quo-</i> <i>quam</i> , semel <i>ullo</i>)

CAPUT XI.

Uenio ad pronomen *quisquam*, quod pro *adiectiuo* coniungitur cum substantiuis *personalibus*. Ac primum quidem *Cicero* saepissime scripsit *quisquam scriptor*, ut *d. Rep.* II, 3, 6 (*quisquam hostis*); *d. Leg.* III, 15, 34 (*quisquam lator*); *p. Rosc. Am.* 23, 64 (*quisquam seruos*); in *Caec.* 16, 51 (*quisquam subscriptor*); in *Uerr. A.* II, l. III, 93, 216 (*quisquam arator*); in *Uatin.* 3, 7 (*quisquam uir*); compluribus aliis locis: at nullo omnino loco apud *Ciceronem* inuenitur *ullus scriptor*. — Genitiuom *cuiusquam scriptoris* his duobus inueni apud *Ciceronem* locis in *Uerr. A.* II, l. I, 10, 29 (*cuiusquam oratoris*); *p. Caec.* 33, 97 (*sine cuiusquam aut magistratus aut iudicis aut periti hominis aut imperiti dubitatione*). Nullo autem loco *ullius scriptoris*. — Saepius dixit *cuiquam scriptori*, ut *Brut.* 59, 215 (*cuiquam oratori*); in *Uerr. A.* II, l. I, 38, 98 (*cuiquam perfugae*); *A.* II, l. V, 54, 141 (*cuiquam ciui*); *p. Caec.* 35, 101 (sic). Nullo autem loco apud *Ciceronem* inueni *ulli scriptori*. — Saepe dixit *quenquam scriptorem*, ut *d. Div.* I, 37, 80 (*quenquam poetam*); in *Uerr. A.* II, l. III, 31, 74 (*quenquam ciuem*); *p. Caec.* 21, 61 (*quenquam iudicem*); pluribus locis: nec raro *ullum scriptorem*, ut *Acad.* II, 2, 5 (*ullum auctorem*); in *Uerr. A.* II, l. III, 90, 210 (sic); *p. Cluent.* 66, 186 (*ullum testem*); *ad Att.* XIII, 31, 4 (*ullum aduersarium*. Habuit igitur *Tullius* nomen *aduersari* pro *substantiuo*). — Nullo autem loco dixit *quoquam scriptore*: nisi quod uno legitur *homine quoquam p. Rosc. Am.* 27, 74, de quo loco infra. At saepe *ullo scriptore*, ut *Tusc.* IV, 25, 55 (*ullo histrione*); V, 9, 25 (*ullo philosopho*); *d. Rep.* I, 43, 67 (*ullo domino*); *d. Inuent.* I, 30, 48 (*ullo teste*); in *Uerr. A.* II, l. I, 41, 105 (*ullo duce*); *p. Caec.* 21, 59 (*ullo iudice*). Locos, ubi dixit *ullo homine*, infra afferam.

Pollio in epistola apud *Cic.* *ad Fam.* X, 32, 5 scripsit *militem auxiliarium ullum*.

Apud *Caesarem* unum omnino inueni locum, quo pro *adiectiuo* est usurpatum *quisquam*, idque *accusatiuo*: *B. G.* VI, 36 in. ac ne *calonem quidem quenquam extra munitionem egredi passus esset*. Nullo autem loco legitur *ullus* apud *Caesarem*, coniuuctus cum *substantiuo personali*.

Cornelius Nepos tribus locis pronomen adiectiuom *quisquam* usurpauit, set tantum nominatiuo, ut XIII, 4, 4 (*quisquam duæ*); XV, 8, 5 (*quisquam iudex*); XXV, 13, 3 (*quisquam pedissecus*). Semel omnino inueni *ullus* cum substantiuo personali iunctum, idque genitiuo: XIV, 6, 8 (*ullius imperatoris*).

Salustius B. C. 61 m. dixit *quisquam ciuis, B. I.* 72 m. *cuiquam mortali*; praeterea *B. C.* 31 in. *cuiquam homini*. Semel *B. I.* 85 ext. *ullum histrionem*.

Liuius saepe scripsit *quisquam scriptor*, ut VIII, 40 ext. (*quisquam scriptor*); IX, 18 ext. *quisquam rex*); XXVII, 50 in. (*quisquam senator*); XLV, 20 m. (*quisquam rex*); pluribus locis: nunquam *ullus scriptor*. — Porro nullo loco *cuiusquam scriptoris*; at *bis ullius scriptoris*: XXII, 59 m. (*ullius ciuis*); XXVII, 45 in. (*ullius imperatoris*). — *Bis cuiquam homini*, de quibus locis infra. *Bis etiam ulli scriptori*: VI, 34 m. (*ulli uiro*); XXIV, 5 in. (*ulli regi*). — Admodum saepe *quenquam scriptorem*, ut VI, 27 ext. (*quenquam ciuem*); XXVII, 8 m. (*quenquam Dialem*); 13 ext. (*quenquam uirum*); XXVIII, 43 m. (*quenquam ciuem*); XXXIV, 49 ext. (*quenquam regem*); XXXIX, 13 m. (*quenquam uirum*); pluribus locis. At nullo loco *ullum scriptorem*. — Denique non inuenitur apud *Liuium* ablatiuus *quoquam scriptore*; non raro autem *ullo scriptore*; ut II, 32 m. (*ullo duce*); V, 40 m. (sic); XXII, 22 in. (*ullo hoste*); XXIV, 3 in. (*ullo pastore*); XXXIII, 41 in. (*ullo auctore*); XXXIV, 16 m. (sic); XXXV, 46 ext. (*ullo uindice*).

Tacitus denique *Ann.* IV, 11 ext. scripsit *quisquam scriptor*, XIV, 21 m. *cuiquam iudici*. Nullo autem loco ullo casu *ullus scriptor*.

Iam uero *Cicero*, ut solebat dicere *nemo homo, nemini homini, neminem hominem*, sic semper dixit *quisquam homo*, ut in *Uerr. A.* II, l. III, 50, 118; p. *Sest.* 36, 78; ad *Att.* IX, 6, 5: nullo loco *ullus homo*; tum *cuiquam homini d. Orat.* II, 90, 365: nullo loco *ulli homini*; tum semper *quenquam hominem*, ut *d. Nat. D.* III, 10, 26; p. *Aem. Scaur.* §. 45 m.; ad *Att.* IX, 19, 1: nunquam *ullum hominem*. Porro semel *cuiusquam hominis ad Fam.* V, 13, 4: nunquam *ullius hominis*; semel *quoquam homine p. Rosc. Am.* 27, 74: interdum *ullo homine*, ut p. *Rosc. Am.* 34, 96; p. *Cluent.*

55, 152. — Praeterea *Salustius B. C. 31 in.* scripsit *homini cuiquam.* *Liuius* etiam, quanquam nullo loco scripserat *nemo homo, nemini homini, neminem hominem,* tamen usurpauit *quisquam homo XXXI, 31 m.; cuiquam homini XXXIX, 50 m.; XLV, 15 in.; quenquam hominem XXIX, 17 ext.* At neque *cuiusquam hominis* aut *quoquam homine* neque ullo casu *ullus homo.*

T a b u l a IV
 pronominis *adiectivi quisquam* cum casibus
 suppletis ex pronomine *ullus*.

	Cicero	Caesar	Nepos	Salsustus	Linivus	Tactus
Nom.	<i>quisquam scriptor</i> (nunquam <i>ullus scriptor</i>)		<i>quisquam scriptor</i> (nunquam <i>ullus scriptor</i>)	(semel <i>quisquam cuius</i> , nunquam <i>ullus scriptor</i>)	<i>quisquam scriptor</i> (nunquam <i>ullus scriptor</i>)	(semel <i>quisquam scriptor</i> , n. <i>ullus scriptor</i>)
Gen.	<i>cuiusquam scriptoris</i> (nunqu. <i>ullius scriptoris</i>)		(semel <i>ullius scriptoris</i> , n. <i>cuiusquam scriptoris</i>)		<i>ullius scriptoris</i> (nunquam <i>cuiusquam scriptoris</i>)	
Dat.	<i>cuiquam scriptori</i> (nunquam <i>ulli scriptori</i>)			<i>cuiquam scriptori</i> (nunquam <i>ulli scriptori</i>)	<i>cuiquam scriptori</i> <i>ulli scriptori</i>	(semel <i>cuiquam scriptori</i> , n. <i>ulli scriptori</i>)
Acc.	<i>quemquam scriptorem illum scriptorem</i>	(semel <i>quemquam calonem</i> , n. <i>illum scriptorem</i>)		(semel <i>illum histrionem</i> , n. <i>quemquam scriptorem</i>)	<i>quemquam scriptorem</i> (nunqu. <i>illum scriptorem</i>)	
Abl.	<i>ullo scriptore</i> (semel <i>quoquam homine</i>)				<i>ullo scriptore</i> (nunquam <i>quoquam scriptore</i>)	

CAPUT XII.

Memorabilis aliquot mihi annotaui ex uno Cicerone locos, quibus pronomen *quisquam* pro adiectiuo iunctum est cum personalibus substantiuis collectiuis, qualia sunt *ordo*, *genus hominum*, *legatio*: ut in *Uerr. A. II, l. II, 6, 17* (*Quapropter de istius praetura Siciliensi non recuso, quin iam me audiat, ut, si cuiquam generi hominum, siue Siculorum, siue nostrorum ciuium, si cuiquam ordini, siue aratorum, siue pecuariorum, siue mercatorum probatus sit: ut uos quoque ei temperetis*); ad *Fam. III, 10, 6* (*Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quominus Romam ad laudem tuam mitteretur?*); *VIII, 17, 2* (*Nam hic nunc praeter fenestros pauca nec homo nec ordo quisquam est nisi Pompeianus*).

At nullo prorsus loco apud optimos scriptores inueni *quisquam* pro adiectiuo iunctum cum substantiuo reali. Nam corruptus est locus apud *Cic. ad Att. V, 10, 4*, ubi uolgo sic editur: *Etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum; quia, quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem: nec hercule unquam tandiu ignarus rerum mearum fui; quid de Caesaris, quid de Milonis nominibus actum sit: ac non modo nemo, set ne rumor quidem quisquam, ut sciremus, in republica quid ageretur. Cicero, mihi crede, scripsit quicquam pro quisquam.* — Magis etiam prauom est notatum istud quibusquam amoenis locis ad *Att. XII, 23, 3* *Nec mihi iam argento nec ueste opus est nec quibusquam amoenis locis: hoc opus est.* Nam praeterquam quod in illo loco *Cicero* pronomen adiectiuom *quisquam* iunxit cum substantiuo reali, nemo unquam scriptor usus est plurali numero pronominis *quisquam*. Nihil certius lectione *Medicei quibusdam*: respicit enim praedia sua et cum quadam exaggeratione dicit, se, si res postulauerit, carere posse et argento et ueste et praediis suis.

Ut nemo nouunquam (uide cap. 5) inuenitur iunctum cum plurali uerbi, sic interdum *quisquam*, ut apud *Cic. d. Off. I, 41, 148* (*nec quenquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque ciuilem fecerint locutiue sint, idem sibi arbitrentur licere.* Sic nos cum antiquissimo *Berensi prim.*, egregio illo *Bernensi tert.*, nisi quod habet *arbitrantur* pro *arbitrentur*, *Guelpherbytanis pr. quart. quint.* Uolgo *arbitrentur*); *Liu. XXXVIII, 26 ext.* (*nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus,*

uidebant). Similiter *ibid.* XXIV, 38 m. (*et caute, quisquam supersit, a quibus aut vis aut fraus timeri possit*). Aliis locis.

Locos illos, quibus unus, quantum scio, Cicero accusatio quicquam usus est more aduerbi, attuli ad orat. p. *Arch.* pag. 53.

Paucissimi inueniuntur loci, quibus pro *ne quis* optimi scriptores dixerint *ne quisquam*. Set primum nunquam in ipso *interdicto*, propterea uidelicet, quod cum *interdicto* parum conuenit additum illud *quam*, id est, *quamuis affirmetur*. Aptissime quidem dicuntur talia: *nego, quenquam fecisse*, id est, *quamuis affirmetur, aliquem fecisse*, quoniam, si *negas*, alterius debes respicere *affirmationem*; non item haec: *ne quisquam faciat!*, id est, *ne quis faciat, quamuis affirmetur, faciendum esse!* Nam profecto is, qui quid *interdicit*, non respicit *affirmationem* aliorum, esse faciendum; set tantummodo aliorum ad faciendum *procliuatatem*. Atque haec *procliuatitas* significatur eo ipso, quod *interdicitur*. In proprio igitur et directo *interdicto* nemo unquam dixit neque *ne quisquam* neque *ne unquam*, *ne usquam* pro *ne quis*, *ne quando*, *necubi*. Urgetur enim in directo *interdicto* res ipsa, quam *interdicis*, non tamen persona, cui *interdicis*, cetera. Non minus prauum est *ne quisquam* post uerba *motuendi*. Nam si quis dicit *metuo, ne quis me uituperet*, hoc *ne quis me uituperet* est profecto *interdictum*: set is, qui *interdicit*, metuit, ut curetur *interdictum*. — Paucis autem locis, quibus Romani dixerunt *ne quisquam*, *ne unquam*, non directe *ne interdicit*, set est coniunctio *finalis*, ut maior vis posita sit in *quisquam*, ceteris, quam in ipsa re, quae *ne fiat*, uolent cauere: uelut apud *Cic. p. L. Man.* 24, 69 (*deinde te hortor, ut, auctore populo Romano, maneas in sententia, neue cuiusquam uim aut minas pertinescas*); *d. Off.* II, 14, 51 (*Atque etiam hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem capitis arcessas*); *Tusc.* III, 34, 84 (*Haec sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae et omnes elidendae, ne ulla unquam possit excidere*); *d. Fin.* III, 21, 72 (*quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neue unquam captiosa probabilitate fallamur*); *Caes. B. G.* VII, 40 *ext.* (*iter eorum moratur atque impedit interdictique omnibus, ne quenquam interficiant*); *Salust. B. l.* 45 in. (*Namque edicto primum adiumenta ignauiae sustulisse, ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum uenderet*); eodem capite *ext.* (*saepe in medio adesse, ne quis-*

quam ordine egrederetur); Tac. Hist. III, 19 ext. (Spornuntur centuriones tribunique ac, ne uox cuiusquam audiat, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur). His omnibus igitur locis magis urgentur uocabula quisquam, unquam, cetera, quam res ipsae, puae interduntur. — Apud Cic. d. Off. I, 9, 29 pro uolgato ne facere cuiquam uideantur iniuriam, quod ineptissimum est, tandem Bernensis prim. rectissimum praebuit nec facere cuiquam uideantur iniuriam, id est, ohne dass es scheint, als wenn sie jemand Unrecht thäten.

C A P U T XIII.

Ut pluralis nulli (uide cap. 7) apud optimos scriptores, sic pluralis ulli bis apud Tacitum pro substantiuo inuenitur: Ann. XI, 27 in. (Haut sum ignarus, fabulosum uisum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse); Dial. 12 m. (Nec ullis aut gloria maior aut augustior honor). Pro adiectiuo cum substantiuo personali iunctum est ulli hoc loco apud Tac. Hist. I, 84 m. (Ulline Italiae alumni et Romana uero iuuentus ad sanguinem et caedem deposcerent ordinem?).

Constat, Romanos dixisse sine ullo, non sine omni; propterea quod in praepositione sine haec inest sententia: ut non (ohne dass) sit. Ut igitur barbarum est exempli gratia contendo hoc, ut non sit omnis dubitatio pro ut non sit ulla dubitatio, sic pro sine ulla dubitatione barbarum est sine omni dubitatione; quod nihil aliud potest significare, nisi ohne dass jedes mögliche Bedenken da sei. Sequatur igitur, aliquam certe adesse dubitationem. Sed ne sic quidem ullo loco sine omni usurpatum inuenitur. — Mirus est autem error hominum doctissimorum, qui quidem opinentur, quanquam recte se habeat sine ullo, tamen proprie non potuisse dici non sine ullo; set praegressa sententia negatiua aemper debuisse dici sine aliquo (magno, summo). Itaque illis locis, quibus ad unum omnes codices tuentur illud non sine ullo, aut accusare solent interpretes ipsum scriptorem negligentiae aut student corrigere. Uix est credibile, criticos non perspexisse, multum differre, utrum dicatur non sine aliqua (magna) dubitatione, an non sine ulla dubitatione. Nam non sine aliqua dubitatione significat non, ut non aliqua sit dubitatio, nicht ohne dass ein ziemliches Bedenken ist; non sine ulla dubitatione contra non, ut non ulla sit dubitatio, nicht ohne dass das

geringste Bedenken ist, nicht so, dass durchaus gar kein Bedenken ist. Quodsi illud diceretur, sequeretur, dubitationem satis magnam esse; sin hoc, esse certe leuissimam. Locos autem, quibus haec posterior perspiciatur dicendi ratio, paucissimos esse, nemo mirabitur. Tris omnino mihi annotaui idque ex uno Cicerone: d. Off. II, 11, 40 (Isque etiam, qui uendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est: cuius tanta uis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae uiuere. Id est, ut ne illi quidem possint uiuere, ut nulla sit particula iustitiae. Male igitur delet Facciolatus illud prope necessarium ulla ac peius etiam pro ulla scribendum esse coniiicit aliqua); Orat. 62, 231 (Quae uitia qui fugerit, ut neque uerbum ita traiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inferciens uerba quasi rimas expleat nec minutos numeros sequens concidat delumbetque sententias nec sine ulla commutatione in eodem semper uersetur genere numerorum: is omnia fere uitia uitauerit. Id est, nec ita in eodem semper uersetur genere numerorum, ut nulla sit commutatio); in Caec. 18, 60 (qui si summam iniuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla uituperatione accusare. Id est, non potes eum ita accusare, ut nullam subeas uituperationem. Peruersum sit autem hoc loco sine aliqua uituperatione, propterea quod satis magna uituperatio nec conuenit cum summa iniuria nec cum illis uerbis, quae paulo ante dixerat orator, si plurimas a praetore tuo iniurias accepisses, tamen eas ferendo maiorem laudem, quam ulciscendo, mererere). — Set si in magno uersati sunt homines doctissimi errore, negantes, potuisse, si uere iudicares, dici non sine ullo: nescio profecto, quomodo appelletur hic error, de quo nunc dicam. Idem enim, qui dici potuisse sine omni pro sine ullo negant, sibi persuaserunt, recte dici non sine omni pro non sine aliquo (magno): quasi uero fieri possit, ut, quod in sententia affirmatiua sit barbarum, non sit barbarum in negatiua. Atqui barbarum est non sine omni dubitatione pro non sine aliqua (magna) dubitatione, ut pro non, quin aliqua (magna) sit dubitatio barbarum est non, quin omnis sit dubitatio. Facile autem intellexeris, et non, quin omnis sit dubitatio et non sine omni dubitatione debere significare omni cum dubitatione, mit jedem Bedenken, mit allen möglichen Bedenken.

Nec sane quisquam miraretur, si, ut *sine omni*, sic non *sine omni*, etiamsi utranque certa illa conditione posset dici, loco inueniretur nullo. Unus tamen omnino exstat locus, quo dictum est non *sine omni* rectissime et quidem apud *Cic. d. Orat. II, 1, 5*, ubi uolgo sic legitur: *Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutae descriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, set ne sine omni quidem sapientia, florere unquam et praestare potuisse.* Cum nemo expulerit ineptissimum grammatici commentum *sapientia*, apparet, sententiam huius loci perspexisse neminem. *Cicero* scripsit sic: *neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, set ne sine omni quidem, florere unquam et praestare potuisse.* Id est, *set ne quin omni quidem praeditus fuerit doctrina.* Dicit igitur *Cicero*, si quis floruerit eloquentia, hunc praeditum fuisse *omni doctrina*, non *solum dicendi doctrina*. Interpretes doctissimi autem non fuisse uidentur i, qui *omnem sapientiam* intellexerint *jede Weisheit* siue *die ganze Weisheit* (tam ineptus quis fuerit?), set isti, securi et de sententia loci et de Latinitate, contenti fuerunt, explicauisse locum perperam atque barbare. — Quemadmodum uero dices uerbi causa *sine ulla causa*, si est significandum, causam prorsus nullam esse: sic consentaneum est debere dici *sine magna* (*maxima, summa*) *causa*, ut significes, causam non esse magnam (*maximam, summam*). Sic apud *Cic. d. Inuent. II, 56 169* (*Facile fieri id dicimus, quod sine magno aut sine ullo labore, sumptu, molestia quam breuissimo tempore confici potest.* Id est, *ut non sit magnus aut ullus labor*); *d. Orat. II, 2, 6* (*multos et ingenii et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor.* Id est, *ut non esset in is summa scientia*); in *Uerr. A. II, 7. III, 26, 65* (*Haec tu cum scires, cum audires quotidie, cum uideres: si sine tuo maximo quaestu fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere atque concederes?* Id est, *si fierent, ut non esset tuus maximus quaestus*); ad *Att. XVI, 15, 2* (*nostrae grauitatis arbitror, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi.* Id est *ut non sit summa illius ignominia*). *Cicero* autem in affirmatiua sententia nullo loco dixit *sine aliquo* pro *sine magno*, propterea sine dubio, quod hoc posterius est distinctius. Nam uno illo loco *d. Fat. 11, 24* (*Ita enim dicimus: sine causa, ut dicamus: sine externa et antecedente causa, non: sine aliqua*) nec est dictum *sine aliqua* pro *sine ulla* nec pro

sine magna, set pro sine alia qua, id est, ut non sit alia quae causa, non modo non causa externa et antecedens. Nemo igitur ex hoc loco concludet, Cicero- nem dixisse sine aliqua causa pro sine magna causa. At unus Caesar uidetur dixisse sine aliquo pro sine magno B. C. III, 73 in. (habendam fortunae gratiam, quod Italiam sine aliquo uolnere cepissent): nisi forte aliquo a Caesare intellectum est alio quo, ut B. C. I, 85 m. (Neque nunc se illorum humilitate neque aliqua temporis oppor- tunitate postulare, quibus rebus opes augeantur suae). — Permultis autem locis inuenitur praegressa sententia negatiua, ut sine magno (summo, eximio), sic sine aliquo: uelut apud Cic. d. Nat. D. II, 15, 40 (quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere); 66, 167 (Nemo igitur uir magnus sine aliquo afflatu diuino unquam fuit); d. Diu. II, 6, 16 (qui nihil sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt); Acad. II, 11, 35 (neminem ulla de re posse con- tendere neque asseuerare sine aliqua eius rei, quam sibi quis- que placere dicit, certa et propria nota); 38, 120 (Negatis, haec tam polite tamque subtiliter effici potuisse sine diuina aliqua sollertia); Acad. I, 6, 24 (neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla ui contineretur neque uim sine aliqua materia); pluribus locis. At in Uerr. A. II, l. V, 9, 24, ubi uolgo sic eduit: nisi uero existimatis, hominem pecuniosissimum sine aliqua causa quaestum electum ad tam incredibile crimen, etsi est negatiua sententia, tamen recte uidentur omisisse optimi codices aliqua: quos secuti sunt Stephanus, Zumptius, Orellius. Nam orator si quicquam uoluisset urgere, debebat urgere quaestum, non causam. Debebat igitur certe dici sine alicuius causa quaestus. Errat autem Zumptius, quod dixit, in uulgata lectione sine aliqua causa quaestus quaestum, uel potius causam, imminui: quasi nero aliqua sit ulla ac non antecedit sententia negatiua. Porro apud Liu. XXXII, 40 ext. (tum quoque, ne sine aliqua munificentia praeteriret ciuitatem sociam atque amicam, decem talenta argenti dono dedit) et apud Tac. Dial. 6 ext. (nouam et recontem curam non sine ali- qua trepidatione animi attulerit), Denique non sine magno, similia, his locis apud Cic. d. Amic. 17, 63 (quia non sine magna causa sit neglecta amicitia); Tusc. I, 15, 32 (Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem); III, 6, 12 (Nam istud nihil dolere non sine magna mercede contingit); IV, 20, 45 (aegritudinem non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam); d. Orat.

II, 47, 194 (*Quare nolite existimare, me ipsum sine magno dolore fecisse*); in *Uerr. A. II, l. IV, 9, 20* (*Non sine magno quidem reipublicae detrimento*). Porro *d. Orat. I, 11, 48* (*Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum in his ipsis rebus satis callide uersari et perite potest*); 14, 60 (*Quaero, num in senatu de omni reipublicae genere dici sine summa rerum civilium cognitione possit*); II, 89, 263 (*Quod semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquentiae sine summo studio et labore et doctrina consequi posse*); *Top. 25, 93* (*fieri sine summa difficultate non possunt*); *d. Nat. D. III, 27, 69* (*Uidetur summa improbitate usus non sine summa esse ratione*); *Tusc. IV, 19, 44* (*Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse*); *d. Rep. II, 10, 17* (*quam opinionem nemo unquam mortalis assequi potuit sine eximia uirtutis gloria*); *p. Quint. 13, 44* (*At sine summo scelere P. Quintium, propincum tuum, iugulare non potes*); *p. Syll. 6, 19* (*neque me arbitrabar sine summo scelere posse defendere*).

C A P U T XIV.

Quaquam probari potest, ut probauisse uideamur *cap. 1, quisquam, ullus, unquam, usquam* in *negatiua* non potuisse non usurpari sententia: tamen, quoniam quibusdam locis *negatiua* sententia occultior est quoniamque critici nonnullis locis, quibus ad unum omnes codices barbarum sine *quisquam* siue *ullus* dicuntur praebere, corruptelam usque ad hoc tempus remanere passi sunt, non mirabere, dubitari a quibusdam de ueritate regulae, quae adhuc solita est proponi. — Fugit autem quosdam *negatiua* sententia illorum locorum, quibus dicitur *si quisquam*, etsi est intelligendum hoc modo *si quis (possis autem negare, quenquam)*: ut ostendimus *l. l.* Sic apud *Cic. ad Att. XVI, 15, 5* (*Male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit; potius, nihil intellexisse. Id est, possis autem negare, quenquam male intelligere. Nam aut intelligo aut non intelligo*); XII, 23, 1 (*Itaque solitudines sequor: et tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero (potero autem), ut praeter te nemo dolorem meum sentiat; si ullo modo poterit, ne tu quidem. Locus praeter ceteros memorabilis. Priore enim loco, ubi dixit *si quo modo*, significat, se posse; altero loco, ubi *si ullo modo*, negare hoc quempiam posse). Alios locos, nisi uolueris corruptos afferre,*

perfecto nescio, quibus aliquo modo lateat sententia *negativa*. An in *comparatiuis*? an in *interrogationibus*, si exspectat is, qui loquitur, ut negetur? an in dictione *quasi quisquam*? an in *raro quisquam* (*Tac. Hist. III, 86 m.*), quod est *nemo fere*? an in dictionibus talibus, quales sunt *miror, quenquam* (*Cic. d. Nat. D. II, 37, 93*); *arrogantiae est, quenquam* (*ibid. III, 10, 26*); *ridiculum est, quenquam* (*d. Fat. 11, 25*); *fabulosum est, quenquam* (*Tac. Ann. XI, 27 in.*); et quae sunt similes? — Exstant uero nonnulli loci, quibus librariorum culpa pronomina *quisquam, ullus* corrupta sunt ex aliis uocabulis, ut ex *quisque, quispiam, ille*, siue quo alio modo est orta corruptela. Nam est memorabile, non, quod sciam, depreheudi ullo loco barbarum *unquam* aut etiam *usquam*: propterea quod *unquam* non potuit corrumpi ex *umpiam*; *usquam*, etsi fortasse ex *uspiam*, non tamen facillime ex *usquo*. Commutare autem potuerunt mediocri industria librarii *quisquam* cum *quisque, quispiam*; *ulli* cum *illi, tibi*, aliis. Aliquot locos corruptos emendauimus *cap. 10*, nec sane, si qui restabunt, difficile erit indicium, quid quoque loco sit scribendum. Apud *Cic. d. Off. III, 5, 26* (*Deinde qui alterum uiolat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil existimat se facere contra naturam aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cupiam iniuriam*) pro *cupiam*, quod in Bernensi tert. ceterisque huius familiae codicibus legitur rectissime, *cuiquam*, quod nouissimi praetulerunt editores, si non barbarum, attamen plane peruersum est. Nam ut hoc loco, quo omnis uis posita est in solo uocabulo *iniuriam*, non potuit a Cicerone scribi *quam ullam iniuriam*, propterea quod ineptissimum est hoc loco urgere *ullam* ac non *iniuriam*: sic non potuit dicere *quam facere cuiquam iniuriam*. Nam *quisquam*, ut *unquam, usquam, ullus*, ubi est scriptum, urgetur. Exprimeretur igitur *cuiquam*, cum deberet exprimi *iniuriam*. Necesse igitur erat, tali uti uocabulo, quale est *quispiam*. Paulo ante in eadem re uides usurpatum *alter*. Cf. locos in editione orationis *p. Archia* pag. 88 allatos, quibus uolgo putant *quis* dictum esse pro *quisquam*. Sed necesse erat diceretur *quis*, quod alius uocabuli notio erat urgenda, non tamen notio pronominis *quis*. Ac nostro quidem simillimus locus est *d. Fin. III, 21, 71* *alienumque esse a sapiente, non modo iniuriam cui facere, uerum etiam nocere*. Eodem loco *d. Off. III, 5, 26* paragrapho extrema

corruptum legitur *ullum*: etsi ne hoc quidem loco per se est barbarum. Omnium prope codicum lectio cum sit haec: *errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortunae vitium vitium animi grauius existimat*, dudum perspexeram, corruptum esse locum, propterea quod *uitium* non potest significare *malum*, ordo denique hic *uitiis animi* in his certe lectionibus uulgatis peruersus est pro *animi uitiiis*. Ac tamen, quod edendum curauim: *malum aut corporis aut fortunae uitium animi*, non iam id esse existimo, quod ipse scripserit Cicero; praesertim cum philosophus noster ne pro *malis* quidem habuerit *mortem, paupertatem, dolorem*. Nihil certius, quam *Ciceronem* scripsisse sic: *errat in eo, quod nullum aut corporis aut fortunae uitium uitium animi grauius existimat*. Ac *nullum* reuera praebere uideo quosdam codices. Sententiam igitur habemus hanc: *so irrt er darin, dass er etwas, was in Wahrheit durchaus kein Gebrechen weder des Körpers noch der Umstände ist, für lästiger hält als wirkliche Gebrechen der Seele*. Quocirca rectissimum est *uitiis animi*, ut praebent omnes fere codices pro uulgato isto ordine *animi uitiiis*. Potest autem fieri, ut aliquando ex codice enotetur *uere uitium*, cum in Gothano deprehendatur *peritium*. *Uitia* uero *animi* oportet nos grauius existimare; non item *mortem, paupertatem, dolorem*, quae nulla sunt corporis aut fortunae uitia, set conuentanea naturae, quoniam a natura sunt data.

CORRIGENDA.

Lib. I.

- C. 1, §. 3. sequeretur.
- C. 1, §. 4. si genus dicendi.
- C. 2, §. 4. ab eo ordiri uolui, quod.
- C. 3, §. 7. tamen id minus.
- C. 4, §. 11. quae sint.
- Ibidem. comparat, rebus praesentibus.
- C. 4, §. 14. modus. Itaque.
- C. 5, §. 17. actio, non solum mentis agitatio quaedam.
- C. 6, §. 19. audiuimus.
- C. 7, §. 22. afferre, mutatione.
- C. 7, §. 23. obsistit iniuriae.
- C. 9, §. 28. Aequius autem erit.
- C. 9, §. 30. quae quasi longo intervallo.
- C. 10, §. 31. posui principio fundamenta.
- C. 10, §. 33. etiam saepe iniuriae.
- Ibidem. set malliosa.
- C. 11, §. 33. ita poenire, ut.
- C. 11, §. 35. ad fidem.
- C. 11, §. 36. indictum. Popilius imperator tenebat provinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem uideretur, unam dimittere legionem, Catonis filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Set cum ambre pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum patitur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento: quia, priore amisso, iure cum hostibus pugnare non poterat. 37. Marcique Catonis senis est epistola ad Marcum filium, in qua scribit, se audisse, eum missum factum a consule esse. Monet igitur, ut caueat, ne proelium ineat: negat enim, ius esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare.
- C. 12, §. 38. esse bellorum.
- Ibidem. cum cui aliter contendimus, aliter, si.
- C. 13, §. 39. ut uenit in senatum, censuit, captiuos non reddendos.
- C. 13, §. 41. qui maxime.
- Ibidem. ut boni uideantur.
- C. 14, §. 44. liberalitate plerunque rapiendi cupiditas et.
- Ibidem. quae proficisci a uoluntate magis quam ab ostentatione uideantur.
- Ibidem. uanitati coniunctor.
- C. 15, §. 48. si possis.
- C. 15, §. 49. animi studio.
- C. 16, §. 51. communia hominum uidentur.
- Ibidem. generis huius (quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest).
- C. 16, §. 52. qui egeant.
- C. 20, §. 67. fortis animi esse magnique.

C. 28, §. 98. mouet approbationem eorum, quibuscum uiuitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum, et optimi cuiusque et relicuorum. 99. Nam.

C. 30, §. 107. participes sumus praestantiae eius, qua antecellimus bestiis, a qua.

C. 30, §. 109. multum dispares.

C. 32, §. 118. rectam secuti uiam suae uitae.

C. 36, §. 130. saepe sunt.

C. 37, §. 133. in omni, quid.

C. 40, §. 143. prudentiae definitio.

C. 41, §. 149. seruare debemus.

C. 43, §. 153. potest: Quodai.

Lib. II.

C. 2, §. 6. disputari solent.

C. 3, §. 8. In quo lapsa.

C. 6, §. 22. is de rebus.

C. 8, §. 30. haec enim est una res, prorsus ut non differat inter summos et mediocri uiros, eaque utrisque est propemodum comparanda. 31. Honore et gloria et beneuolentia ciuium fortasse non aequae omnes egent: set tamen, si cui haec suppetunt, adiuuant aliquantum, cum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

C. 13, §. 47. de Demosthene.

C. 14, §. 51. id enim sine scelere nullo fieri pacto potest.

C. 16, §. 56. hoc primo incredibile.

C. 17, §. 59. adeptum esse.

C. 20, §. 70. cum quicquid factum sit.

Lib. III.

C. 5, §. 26. errat in eo, quod nullum aut corporis aut fortunae uitium uitium animi grauius existimat.

C. 9, §. 38. putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim boni uiri, non occulta quaerunt.

C. 12, §. 53. ut nihil suum cuiusque sit.

C. 20, §. 81. ne uideatur esse utile.

LIPSIAE,
TYPIS HIRSCHFELDIANIS.
